







1.
2.
3.
4.
5.



1715

1. Bruchmann, Gunt. Hieronymus: De jure principis et imperii statu protestantium circa causas matrimonialis.
Lts
2. Bruchmann, Gunt. Hier., Collegii jur. Decanus: De tribus temporibus romo vj or a s. Romani civitis
Programma, lectioni auspicali ultimali Institutii Dresdlii praemissum.
3. Bruchmann, Gunt. Hier., Collegii jur. Decanus: De testatione auctoris. Programma, lectioni inaugurali Petri Quercy praemissum.
- 4 a b Pagenmann, Nicolaus: De meritis Formaeorura in juri prudentia. 2 Script. 1714 & 1718.
5. Bruchmann, Gunt. Hier., Collegii jur. Decanus: De variis ultimarum voluntatum speciebus, peculiariter de nova per Institutium Temp. introducta. Programma, lectioni solenni Thomaes Rade praemissum.

1714.

6. Müller, Jo. Ponticus: De Pelagianismo in ecclesia
Romana per bullam Anti. husernetianam . . . a
Clemente XI R. P. promulgatam triumphante. 17
14.
7. Friesen, Jo. Bernh., Fac. jur. decanus: Programma
Augusti Beyeri lectionis auspicali praemissum. 16
17.
8. Friesen, Jo. Bernh.: De jure Dominante. 18.
9. Friesen, Jo. Bernh., Fac. jur. decanus: Programma
Reicholdi Sommeri lectionis inaugur. praemissum. 19.
10. Gerhardus, Ephraimus: De crimine ablat. Fidei 19
20.
11. Gerhardus, Ephraimus: De alienatione feudorum Silesiae 20.
21.
12. Hamburgerus, Laurentius Andreas: De utilitate ex hominibus
in his literis in jurisprudentiae studio capienda. 21.
13. Hamburgerus, Laurentius Andreas et Inlauridus, Cons. Jul:
De edicto perpetuo. Accent: Brevis commentatio
et l. 1751. P. pro socio. Rec. 1738. 21.

1714.

14. Marbachius, Ulricus: De jure receptorum.

15. Rosa, H. Gualther: De beneficiis odiosis.

16. Schroeterus, Christianus: De legatis ad pias causas.

17. Stuvius, Rudolphus Gottlieb: De sententia provocationis
quoad alimenta et expensas litis.

18. Wildvoegelius, Christianus: De competentia consistoriorum
Evangelicorum imprimis inferiorum in provinciis
Pectoratus Saxoniae.

19. ^{ant} Wildvoegelius, Christianus: De conditionis furtivae naturae
et usum hodiernum. 2 Sept.

20. Wildvoegelius, Christianus: De desertoribus et transfugis.

21. ^{ant} Wildvoegelius, Christianus, Collegii Juridici Decanus
De pacto illicito praemium merente. Programm. inaug.
Antonii Mathiae Georgii Fiedler, Lectioni auspicali
praemissam. 2 Sept. 1714 - 1754

22. Wildvoegelius, Christianus, Collegii Juridici Decanus:
De bono facto, praemium merente. Programm. ... Christophori
Gustavius Dieterici, Lectioni auspicali praemissam. 2 Sept. 1714.
1754

1714.

23. Wittenbergius, Christianus : De usu juris naturalis
in actionibus principum conspicuo.
24. Wittenbergius, Christianus : De immunitate.
25. Wittenbergius, Christianus : De furtis improprie

NICOLAI PRAGEMANNI ^{1714, 4 6}
PHIL. ET V. J. D. AVLÆ AC REGIM. SAXO-VINAR.
ADVOC. ORDIN. ⁵
SPECIMEN TRACTATIONIS ^{168 - 1}
DE

**MERITIS GERMANORVM
IN IURISPRVDENTIA**

IN 2^{VO}

POST DISSERTATIONEM PROEMIALEM
DE PHILAVTIA GENTIVM

NOSTRATVM MERITA TVM ^{1714 2}
IN IURISPRVDENTIA IN GENERE,

TVM IN SPECIE

IN STUDIO

IURIS NATVRALIS ET POSITIVI DIVINI
EXHIBENTVR

ANTEHAC IN VICEM DISSERTATIONIS IN AVGVRALIS
SVB PRÆSIDIO

VIRI MAGNIFICI ET JCONSULTISSIMI
GVILIELMI HIERON. BRVCKNERI

CONSILIARII SAX. ET ANTECESSORIS JENENSIS

SOLEMNI ERVDITORVM EXAMINI SVBJECTVM
JAM AVCTIVS

IN PRIMIS CVM QVÆSTIONE PRÆJVDICIALI
**DE EXISTENTIA LEGVM POSITIVARVM
VNIVERSALIVM**

ET

DISTINCTIONE PARTICVLARIVM
PVBLICATVM.

J E N A E,

IN OFFICINA WERTHERIANA.

Anno 1718.

NICOLAI FRAGEMANNI

PIRE ETARD AVLE AC REGIM SAHO-VINAR
ADVOC. ORDIN

REGIMEN FRAGATIONIS

DE
MIRI FR GERMANORVM
IN JURISPRVDENTIA

DE RHILAVIA GENTIVM

JURIS PRINCIPALIS ET POSITIVI DIVINA

GUILLIELMUS HERON BRUGNERI

DE EXISTENTIA ET POSITIVITATE

DISTINCTIONE PARTIUM

IN OFFICINA WERTHERIANA
ANNO 1719





PROOEMIUM
De Φιλανθία gentium;

Contenta.

Commune hominum vitium Φιλανθία §. 1. Integrarum etiam gentium 2. Illarum precipue, quae praeteris aliqua re eminere videntur 3. quod declaratur exemplo Ebraeorum 4. Paganorum Asiaticorum 5. Africanorum 6. quorum jam omnium laus in literis evanuit 7. Graecorum 8. Italarum 9. Gallorum, quae omnes pene alios hodie spernunt 10. Inprimis Germanos 11. Cause hujus contentus ex parte Gallorum 12. Germanorum 13. non sufficiunt 14. defensores Germaniae contra Gallos 15. Scopus dissertationis 16.

§. I.

Communis fere omnium mortalium morbus est, ut nescio, quo sui amore capti, aliena despiciant, sua mirentur; & vix quispiam inveniatur, quem non in aliqua re videre suffenum possis *Catall. ep. 22.* Unde tam simile in re simili videns iudicium, duplicem in homine

mine eodem crederes intelligendi facultatem; alteram, qua proprias, alteram qua aliorum actiones diiudicet. Et hæc imbecillitas cum illo Micione Terentii *Adolph.* *lib. I. sc. 2.* non solis imperitis tribuenda videtur: cum vel maxime illos, quorum mens saniore doctrina debebat esse imbuta, cæco hoc amore laborare videas, & firmiarum instar proprios fœtus deperire, eorumque advocatos agere, dum aliis omnibus etiam sine suffragio censores se fistant inexorabiles.

2. Nec quidquam hac labe est pestilentius, quæ fonticum & exitiale virus non in singulos tantum, sed in familias, civitates, nationes, gentes denique universas disseminat: ut integer etiam populus sua extollat, alia non nauseet solum, sed contemni etiam exponat, eoque ipso suam tolli credat spurcitiem, si alios nigredine conspurcet. Nihil autem hac sua *Φιλαντία* efficiunt, nisi ut exemplo demonstrent, vera esse, quæ olim Narcisso acclamata feruntur: πολλοὶ σε τοὶ μισῶσι ἀν' σαυτὸν *Φιλῆς*. Deo autem graviores adhuc luunt pœnas, qui iustissima talione, quæ ab ipso profecta non origini, sed suæ virtuti tribuerunt homines, sibi demum vindicat, ut qui florente re sua sapere noluerunt, sapiant tandem marcescente.

3. Hæc autem omnia incurrunt præsertim gentes illæ, quæ præ aliis aut potentia imperii, aut litteris artibusque excellunt, & quo majora Deo debent, eo plura rapiunt sibi que accepta ferunt; Donec cuncta hæc levi cura custodita, illis ipsis eripiuntur, & ad alios spretos antea & flocci habitos transferuntur. Quod sicui in imperiorum vicissitudine dubium esse nequit illi, qui vel aliquam civilis historię cognitionem acquisivit, ita non minus facile probatu est in animorum cultura & scientiis, quæ sæpissime cum externa potentia eadem incrementa habuerunt, eadem decremēta,

4. Ut

4. Ut enim in re, quæ peculiarem discussionem requireret, levi tantum digito pro scopi ratione nonnulla tangam, & ab ea potissimum gente exordiar, quæ doctrinæ & antiquitate & excellentia omnes antecedit; habebant certe Ebraei, quo præ reliquis tanquam stellæ primæ magnitudinis effulgere poterant. Sed hoc tam eminens summierum moderatoris beneficium, præcipuum quoque deposcebat animigrati memorisque tantæ gratiæ significationem. Quoties autem neglecto fonte hoc genuino ad voraginosas philavitæ scatebras profugerint, innumeræ Sacri Codicis testantur paginæ. Neque crediderim eo ullam facile gentem audaciæ processisse, ut scientia sua turgens ipsa Dei effata contemneret. Hi autem tantum sibi confidebant, ut divinis oraculis traditiones suas multis, Gemaram autem immensis modis præferrent. *vid. summe Reverend. Dn. Budd, introd. ad histor. phil. Ebr. p. 101. Heumii phil. Barbar. p. 67.* Quis ergo in admirationem rapitur, si qui ipsum ens sapientissimum longe infra se putarunt, homines itidem habuerunt contemptui, cabalæque suæ inventa futilia omnium gentium tam antiquam sapientiam, quam novam eruditione superare crediderunt. *Burnet. Archeol. phil. lib. I. cap. 7.* Unde forte non incongrue *קטנות דהוריות תורתם* illis tribuunt scriptores profani, v. *Dn. Gundling hist. phil. moral. part. 1. c. 7.* Quod odium universale inter alios experti sunt Samaritani *Sigon. de republ. Ebr. lib. II. cap. 6.* quos plane ab omni commercio arcebant *Selden. de l. N. G. lib. 2. cap. 5.* Imprimis vero ille fastus Phariseos repleverat, quorum vel solum nomen a *פריש* deductum peculiarem aliquam præ aliis præstantiam indicare debebat. *Heurn. lib. 2. cap. 22. Sigon. lib. 5. c. 11.* & vita durissime peracta singularem sanctitatem ostentabat v. *Act. 26. s. Math. VI. s. XXIII. 23. Luc. V. 33. XVIII. 12. & Sigon. c. 1. p. 276.* id quod appare-

bit clarius, si septem eorum genera quæ ex Talmude recenset *Goarvin. Mos. & Ar. p. 98.* contemplerur. Saducæos doctrina magnatum auribus præcipue accommodata eodem fastu actos esse ex Josepho constat. Esiræ ab illo nec in desertis immunes fuisse probabile est v. *Sigon. p. 287.* imprimis si eos quasi *deis* dici voluisse *Rhodigino lect. antiq. lib. 5. c. 9.* credere velimus. Neque decrevit illa arrogantia, cum deinde paganorum philosophorum dogmata adficerent, & Aristoteli imprimis fasces submitterent, Ne enim ab exteris profecisse viderentur, non puduit illos ipsum Aristotelem Judæum ex tribu Benjamin effingere, aut saltem asserere, cum ex Salomonis avtographis omnia surripuisse. *Dn. Budd. hist. phil. Ebr. p. 164. seqq. Dn. Lang. med. ment. part. V. cap. 1.* Hæc autem tam immensa philavtia non contemptarum tantum gentium talionem sustinuit, ut Judæos Barbarorum ineptissimos esse, ideoque solos illos nullum inventum vitæ utile peperisse sibi persvaserint *Dn. Gundling hist. phil. mor. part. 1. c. 7.* sed longe graviozem ipsius Numinis pœnam meruerunt, ut venerabundo timore omnium oculi cernant, quem in modum facta sit

Gens dilecta olim, nunc inimica Deo.

Sapientia vero eorum adeo obsolevit, ut qui olim duces cœcorum, lucem eorum, qui sunt in tenebris eruditores desipientium se jactabant. *Rom. 2. 19. 20.* jam aut nihil, aut non ultra pueriles fabulas sapere videantur. Quæ sola pœna facis demonstrat quid alios maneat, quidve expectare debeat infitus oleaster, cum Deus naturalibus ramis non pepercerit. *Rom. XI. 17.*

5. Ad ethnicos si respicimus, Asia primum oculis se sistit, in universum adeo elata, ut complures alios populos vix homines putaret *Groning. bibl. Jur. gent. exor. lib. 1. c. 4.* Chaldæi speciatim gentilium, quidquid alii detrectent philosophi antiquissimi, quibus si oraculo præten-
to

to fidem haberemus, sola cesserat sapientia. *Stanley. hist. phil. orient. l. 1. sect. 2. c. 1.* Arguit eorum fastum inter alia immensæ turris exstructio *Gen. XI. 4.* Astrologiæ præ ceteris summos se magistros jactant *Stanley. l. c. cap. 17.* & quo eminentiam suam audacius extollere queant, se ante Alexandri M. tempora 470000. annis cælum observasse gloriantur. *Stanley. lib. 1. sect. 1. cap. 1.* Phœnices sequuntur, quibus *Pomponius Mela*, ipse originis Phœnicis *lib. 2. cap. 6.* omnium fere artium scientiarumque inventionem tribuit *lib. 1. cap. 12.* & qui urbes ipsa terrarum inundatione antiquiores jactare non verentur. *Plin. lib. 5. c. 13.* Ad Arabum *Philavriav* comprobendam sufficit ex multis utius *Abalaharajus*, Arabs, qui postquam in *histor. dynast. variarum gentium*, suæ imprimis instituta collaudavit, reliquas bestiiis quam hominibus similiores esse perhibet *Groning. lib. I. c. 4. §. 2.* Sabæis speciatim fragmentum Arabicum a *Stanojeo lib. 3. c. 2.* adductum scientias quasi proprias vindicare videtur. Perfæ succedunt, qui majorem doctrinæ suæ auctoritatem conciliaturi autorem sapientiæ suæ *Zoroastrem* ab ipso Deo dogmata accepisse. *Stanley. lib. 2. c. 1.* *Diog. Laert. p. 27.* qui ob id ipsum meditabundi semper & musitantes incedebant, ut vaticinantem Dæmonem in pectore habere crederentur. *Dn. Gundling hist. phil. mor. p. 1. c. 3.* Indi autem arrogantius se omnia nosse dicunt, ex *Jarcha Groning. lib. 1. c. 6. §. 6.* Græcorumque philosophiam alioquin tantopere celebratam sua multo credunt imperfectiorem. *Groning. l. c. §. 4.* Sub Indis comprehenduntur nonnunquam Sineses, qui antiquitatem suam ad quadraginta annorum millia projicere non dubitant *Dn. Gundling. l. I. c. 4.* Sed de horum philavtia quis dubitat, quisve ignorat jactabundum dictum: *Se solos duobus oculis gaudere, Europæos uno tantum, cæteras gentes plane cœcitate.*

tire. Hunc tamen populum adeo oculatum, quis a vicinis Tartaris eum in modum despici crederet, ut ab ignota fere gente barbari audiant. *Becmann. hist. orb. p. 1. c. 6. sect. 2.* qui iidem Tartari ceteros homines omnes adeo contemnunt & se prudentia ac bonitate excellere putant, ut alloqui fastidiant, & a se explodant. *Boem. de mor. gent. lib. 2. c. 10.*

6. Sed relicta Asia in Africam facto transitu ad Aegyptios appellimus, qui sicuti literarum studiis, ita arrogantia etiam reliquos omnes antecedunt, ut non immerito ventosi, furibundi, jactantes, injuriosi atque vani nominentur passim. Quid enim durius, quam istud, quod Soloni ab illis primum acclamatum Plato memorat: ὦ Σόλων, Σόλων, Ἕλληνας αἰεὶ πᾶσιδες ἐστὶ. O Solon, Solon, Graci semper pueri estis, de quo vid. prolixius *Rittershus. lect. sacr. lib. 3. cap. 23.* quid iniquius, quam quod exteros omnes barbarorum nomine inquinant? *Herodot. in Euterpe.* quid arrogantius, quam quod vetustis jamdum temporibus ab origine sua centum & nonaginta sex annorum millia numerarunt. *Pomp. Mela lib. 1. c. 9.* ibique *Vossius*, & a se per universum orbem colonias deductas scientiasque propagatas adfirmarunt *Heurn. phil. barb. lib. 1. p. 19. seq.* Quid invidiosius, quam quod thesauris suis putativis draconum instar incubuerunt, eosque obscurissimis notis incluserunt. *Dn. Budd. philos. fab. amat. §. 7. seq. Schrader. de Pythagora diff. I. §. 36. seqq.* Aethiopes jam olim reginam suam Salamonem hominum sapientissimum tentandi gratia accessisse *1. Reg. 10.* & ab eo non interrupto ordine reges suos descendere ostentant. *Becm. hist. orb. lib. 2. cap. 11. & 12.* Addunt se primos esse inter eos, qui Christo nomen dederint, quæ cum jactantiæ documentis aliis leguntur ap. *Becm. l. c.* Reliqui Africæ populi fere omnes cum barbariem suam non possint ire inficias, id minimum ridicula narratione con-

contendunt, per se stetit, ut ad idem elegantia cacu-
men elati essent. *Ils croyent, inquit, Guil. Bosman dans
le voyage de Guinée leurr. 10. pag. 149. que Dieu a creé au
commencement aussi bien des hommes noirs que des blancs pour
peupler ensemble le monde, voulans par là prouver, que leur origi-
ne est aussi ancienne, que la noire, & pour se faire encore plus d'
honneur, ils disent, que Dieu ayant créé ces deux especes d'hom-
mes, leur proposa deux dons, savoir, ou de posseder l'or, ou de sa-
voir lire & écrire, & comme Dieu donna le choix aux noirs, ils
choisirent l'or, & laisserent aux blancs la connoissance des let-
tres.*

7. Vidimus jamdum ex parte & adhuc plus vide-
bimus, non efficere potuisse ullam gentem sua ferocia, ut
non ab aliis & sæpius ab illis ipsis, quos conremtim ha-
buerant, vicissim contemnerentur. Sed non sufficiebat
hæc pœna, sed alias insuper easque graviores sustule-
runt. Solo enim contentu sæpe & immeritus afficitur,
sed hi suo jure omnibus se, si non spernendos, miserandos
tamen sistunt. Ubi est enim jactata illa Asiz Africæque
sapientia? Evanuit, & ad illos transit, qui antiquos ejus
possessores venerari non satis poterant. Ea enim omnia,
quæ a nonnullis de istorum hodierna quoque sapientia
proferuntur, aut somnia sunt, quæ a quibusdam, non ut
aliorum, sed ut suum ostendant ingenium, operose con-
quiruntur, aut adeo levia, ut a qualibet gente, nisi com-
munem rerum sensum deneges, similia expectanda sint,
quæ eundem in modum affecto sensu alieno, floridaque
oratione extolli queant. Aut si aliquis sanius quidquam
protulit in medium, hoc adeo rarum est ut facilius aurum
ex stercore, quam ex tot quisquiliis sapientiam eruas, nec
tamen invenias quidpiam, quod apud alios, non minori
labore, majori commodo reperiat. Solos forte Chi-
nenses excipies, in quorum egregia sapientia demon-
stranda certatim veluti versati sunt viri eruditi. Sed nu-

B

gas

gas etiam Sinensium alii non indoctiores jamdudum non in vulgaribus tantum philosophis observarunt, sed in ipso etiam Confucio, cujus liber exiguus decem francorum millibus impensis, tandem productus, non explevit spem, quam de eo conceptam habuerunt. *Vigneul Marville me- lang. tom. 1. pag. 251. Dn. Gundl. lib. 1. cap. 5. Groning. lib. 1. cap. 5 § 7 seqq.*

8. Citato ergo cursu ad Europam accedimus, quæ quo notior, eo velocius percurri poterit. Extulit in ea caput Græcia, in qua eruditionis gloria clarius, quam usquam alibi reluxisse creditur. *Schürzflösch. disp. acad. pag. 301. Regii hist. phil. pag. 12. Groning. bibl. jur. gent. Europ. lib. 1. cap. 1.* Sed quam clarissime ibidem reluxit etiam sui admiratio, ut non immerito a *Plinio* genus in gloriam suam effusissimum appelletur *l. 3. c. 5.* vanitatisque portentosumque mendaciorum arguatur *lib. 2. cap. 109. § lib. 5. c. 1.* & ab eodem *in præfat.* ob fastuosam librorum inscriptionem male audiat. Sibi solis divinitus contigisse putabant, ut non desiperent. *Dn. Budd. disp. de peregr. Pythag. § 2. Dn. Gundl. c. 6. § 1.* Alios autem communi barbarorum nomine comprehendebant. *Strabo l. 14. Sextus Pompej de Verb. signif. lib. 2 p. m. ii. 55.* unde *Plato* moribundus de eo inter alia cælo egit gratias, quod *Græcus* natus esset, non barbarus *Lactant. lib. 3. c. 19.* & *Anna Comnena*, dum vitam *Alexii* patris describit, veniam precatur a lectoribus, quod defendendis occidentalium principum nominibus opus deformare cogeretur. *Illustr. Dn. Wildvogel in diss. de eo quod est justum, sed non decorum §. 43.* Atque licet barbarica philosophia antiquitate omnino præcedat. *Lambec. prodr. hist. lit. c. 10.* nec ipsi Græcorum modestiores, se permulta a Barbaris accepisse diffiteantur. *Clem. Alex. Stromat. l. 1. p. 301. Heurn l. 1. p. 79.* alii tamen sibi omnis scientiæ originem injuste adscripserunt, *Joh. Schor. an. a Sterlinga physic. cap. 1. Heurn. c. 1.* ut mirandum sit, hodiernum quoque philosophiæ natales
mul-

multos querere in Græcia, deceptos nominis Etymologia
v. Fleury du choix des études p. 2. cum tamen de Pythagora,
 qui primus hoc nomen excogitavit *Jamblich. c. 24.* mani-
 festum sit, illum e barbarorum fontibus plurima hausisse.
Dn. Budd. diss. de peregr. Pythagor. unde argumentum hoc
 non immerito perstringitur a *Casaubono in not. ad Diog.
 Laert. proœm. & Clerico in pref. ad Hesiodum.* Recessisse vero
 a Græcis sapientiam, ut in ipsa Græcia querenda sit Græ-
 cia, & ad barbaros transmigrasse, adeo manifestum est, ut
 probationibus non indigeat. vid. *Belli Herm. polis. lib.
 I. pag. 60.*

9. A Græcis litteræ, & cum litteris *Φιλανθία* ad Ita-
 los pervenit, qui terram suam omnium terrarum alum-
 nam eandemque & parentem jactitant, numine Deum
 electa, quæ cælum ipsum clarius faceret, sparsa congre-
 garet. imperia ritusque molliret & tot populorum discor-
 des ferasque linguas sermonis commercio contraheret ad
 colloquia, & humanitatem homini daret. *Plin. lib. 3. cap. 5.*
 & qui hunc suppresso autore descripsit *Boemius lib. 3. c. 18.*
 Unde & hi barbarorum nomine appellant, quidquid exte-
 rum est *Cic. de fin. lib. 2. c. 15.* quæ jactatio immutato etiam
 postmodum Italix florere non decrevit, ut a Julio II. pontifi-
 ce barbari pronunciati sint, qui Itali non essent. *Guicciar-
 dini in histor. Ital. & hodie eadem ignominia illi etiam sæ-
 pius noventur, qui Italice loqui non didicerunt, licet cœ-
 terum satis eruditi, Belli c. I. p. 70.* unde injuriam Italix non
 dicit *Vigneul-Marville Tom. III. p. 92.* asserens, *que les gens de
 cette nation n'avoient pas aisement, qu'il se trouve de grands ma-
 tres hors de chés eux.* At neque hi impune tulerunt suam
 arrogantiam, sed illud celebratum Romanorum nomen
 aliquando adeo in contemptum abiit, ut *Ottonis* ætate,
Luitprando teste, exterorum plerique inimicum suum
 non aliter, quam Romanum contumeliæ causa irati appel-
 laverint, *Dn. Gundling c. 6.* Neque desunt, qui credant in-

dies magis magisque Italos ab antiqua virtute decedere
v. *Sincer. de peregrin. Germ. p. 50.*

10. Aliarum Europæ nationum superbia similiter ostendi posset, si hoc & scopus deposceret, nec alia rationes disuaderent. Soli adhuc Galli prodeant in medium, gens, si quæ alia sui admiratione occaecata. Licet enim ostentatores rerum suarum, Italos, Hispanos, quid quod suos Vascones magnopere in risum vertere soleant, ipsique inanes ipsorum glorias fugere se *Textor. cornuc. p. 45.* nec majoribus, quam deceat se modulis metiri *ib. pag. 46.* æquis judiciis, ut quisque meruit, laudare *Grammond. lib. 1. hist. Gall.* imo modestia immodica pluris facere alienæ gentis formicas, quam suos tauros, prædant *Textor. l. c. p. 48.* accuratius tamen indolem ipsorum pensitantibus nec superbia, quam *Mela lib. III. c. 2.* nec improvida virium confidentia quam Cæsar, nec jaçtantia, quam *Almeloven. de vit. Stephanor. p. 4.* objicit, latere potest. Vix enim in ceteris *Φιλαντίας* quædam germina taxavimus, quæ non in hac gente summum culmen monstrare possint. Impossibile arbitratur, ut extra Gallia terminos scientiæ elegantioris aut ingenii quidpiam reperiatur. Sed hoc sibi in quarto veluti modo proprium adscribunt. *Boubours entretiens d' Ariste & d' Eugene entr. 4.* Atque sicut hæc si quæ alia natio omne medium transgreditur, & excessu regnatur, quod *Regnierius* popularibus suis merito objicit, *recueil. de poesies morales pag. 21.* ita quod ibidem asferitur, in maledicendo modum tenere nequit.

11. Experti hoc sunt ceteri propemodum omnes, & in iis præsertim Germani, quorum nomen adeo Gallis nonnullis exosum est, ut quoties simplicem & stupidum nominare velint, Germanum appellent, quod vel solum diæsterium vulgatum: *vous me prenés pour Allemand,* abunde commonstrat. Joh. Bodinus, licet uno loco Germanos mirum in modum extollat, & *humanitate Asiaticis, militari distipli.*

ciplina Romanis, religione Hebraeis, philosophia Graecis, Geometria Aegyptiis, Arithmetica Phenicibus, Astrologia Chaldeis, opificio-
rum varietate populis omnibus superiores judicet. *meth. hist. p. m. 142.*
aliis tamen locis mordaci & intolerabili dicacitate eosdem
traducit. Imprimis autem *l. c.* naturali levitate circum-
actus *p. 143.* subjungit statim, utut Germani omnium magna-
rum artium scientiam infinito labore adepti fuerint, in illis tamen
ornatum, venustatem, ordinem, rationem, quam in aliorum scriptis
elucere videamus, multorum judicio desiderari, & ut corporum, ita
librorum magnitudinem nos amplecti. Quo ipso priorem lau-
dem intervertit, nihilque dicit aliud, quam quod Bailletus
adfert injuriose satis: *les Allemans sont toujours Allemans, seu*
uti uberius paulo eandem sententiam declarat Vigneul-
Marville tom. I. p. 250. les Allemans sont ceux de tous les Euro-
peens, qui sont plus demeurés dans leur naturel sans y rien changer.
Ils ont encore la force & le courage de leurs ancêtres, la pesanteur
d'esprit, joint à un travail invincible. Ce qui paroît principalement
dans l'exercice des sciences & des lettres. Sic Joh. Barclajus,
Gallus natalibus, licet largiatur, nonnunquam nos exsur-
gere posse, plerumque tamen magnorum capaces non
esse adferit, & velut patria gravitate depressos in humili-
tatem cogitationum. *in Euphorm. p. 133. & p. 358.* stuporem
nescio quem confingit, qui nos a subtilitate ingeniorum
excludat. Unde quorundam impudentia eo processit, ut
proposita quaestione, an in hominem natione Germanum
ingenii subtilitas, elegantia & venustas cadere possit, sine
hæsitacione responderent, illud per se *adverum* esse, nec
sine minori miraculo aut prodigio fieri posse, ut ingenio-
sus reperiat Germanus, quam si Moscovita talis appa-
reat *v. Bouhours l. c.* Ut taceam aliorum quam plurima ju-
dicia sinistra, quorum multa satis nota & ab infra citandis
diligenter satis collecta sunt.

12. Causas si consideremus, cur ingenitus genti fa-
ctus in Germaniam præcipuum contemptum verterit, illa

præ ceteris apparet, quod ab hac maxima arrogantia suæ
 obstacula invenerunt. Quanta enim Cæsarea dignitas
 magis allicit eos stomachumque movet, eo magis invi-
 denda visa est illa gens, quæ supremum hoc fastigium præ
 ceteris conscendit, illudque non obstantibus tot fraudu-
 lentis Gallorum machinationibus in hunc diem retinuit.
 Hinc non minus togata militia commota est quam sagata,
 quæ tamen ipsa, cruentis nobiscum gestis bellis, aliam
 tanti odii dedit rationem. Quis enim ab hominibus in-
 justitiæ deditis æquitatem & amorem in hostes speraverit?
 In bello vero & victoria, & quam sæpius quidem per-
 pessi sunt. clades, affectibus additamentum adjecerunt.
 Victoria quidem homines per se leves eo superbiæ addu-
 cere consuevit. ut secundam belli fortunam tribuant suæ
 fortitudini, hostium imbecillitati, quarum unam multum
 evehere solent, alteram maximum in modum deprimere.
 Clades autem sibi immerito accidisse persuasi, fortunæ
 assignant omnia, quam cum ulcisci non possint, in eos ver-
 titur odium injustam, quibus illa præ ceteris favere visa
 fuit. Neque pax, quæ inter utramque gentem sæpius
 intercessit, morbo huic attulit remedium, mutavitque
 gentem, quæ sub finem superioris & initium hujus seculi
 pacem inire non aliter visa est, nisi ut reparatis viribus bel-
 lum vehementius inchoaret. Sic enim Galli, quidam ni-
 mium quantum nos, nulla injuria provocati invadunt,
 simplicesque credunt illos, qui pro ingenuitate sua &
 constantia, sæpius a subdolo & mutabili populo seducti
 sunt fraude ignominiosa: quæ num in laudem & gloriam
 Gallorum vergat, ipsi pro ingenio & prudentia sua viderint.
 Alias plures rationes brevitatis studio omittimus, inque
 iis insignis Gallorum circa res exterorum, & Germanos
 etiam elucet ignorantia, ex hac *Philautia* propullians,
 cum adeo se miretur ipsam gens ambitiosa, ut alia omnia
 ignorare non ducat indecorum: cujus rei exempla spe-
 cia.

ciali cura congegnerunt Joh. Frid. Meyer. in *programmata de turpi circa autores ignorantia*. Reinh. Henr. Roll, in *sibediasen. de eruditis climacterico magno denatis*. Joh. Frid. Cramer. in *vindicis* Boisleau in *colloq. crit. de sphaemat. viror. in re literar. illustrum.*

23. sed ne omni in Gallos culpa rejecta, plane reatum a nobis videamur amoliri, nostra etiam vitia non sunt reticenda. Ubi occurrit inprimis sollicita Gallorum imitatio, qua adeo incensos videmus nostratum multos, ut nil pulcrum credant, nisi profectum a gente vanitatum studiosissima. Linguam quidem vernaculam, quae venustate nulli cedit, majestate omnes superat, odio habere videntur, & neglecta illa exoticam & Gallicam excolunt, de quo conqueritur Arumæus *Disc. jur. publ.* 14. §. 13. tom. 1. aut etiamsi Germanice loquantur, sermonem ditissimum longe petitis vocabulis refarciunt, ut altera linguarum confusio in Germania enata videatur. Juste de eo queritur Thom. Crenius *Method. Tom. 2. de philologia* p. 247. *approprium nostrae gentis est ineptissima illa lingua nostra corruptio & in exoticas sive transformatio, sive cum iisdem barbara atque auribus etiam ingrata confusio. Quae res facit, ut linguam ipsi nostram vix intelligamus amplius, atque in convitio hoc gentis nostrae meritissimo ridiculos etiam triumphos aucupemur. Sane purissima nostra & a peregrino squalore libera haecenus lingua mutavit & in miras loquendi degeneravit formulas. Monstra vocabulorum & carcinomata irrepserunt occulte, ad quae gravis aliquis & genuinus Germanus quandoque vix indignationem, quandoque nauseam vix teneat. Quis enim eo sit animi robore, qui concoquat Cerdones etiam & fungos, qui loci natalis mania nondum egressi, in convivis foro aut tonstrinis voculas quasdam aucupati, magno cum fermento & tumore*

ver-

vernacula infarciunt, corruptis alieno sono iis ipsis, ut duplici suo furore ludibrium humanioribus debeant, magis seriis & sapientioribus odio sint ac contemptui &c. Sinceritatem horum hominum in Aristarcho suo multo sale perfricuit Germanie Virgilius, Martinus Opitius. Item Michael Piccartus Francus Prof. Noricus dec. III. obs. bist. pol. c. 10. p. 172. & Casp. Finckius in sin. cent. II. canon. theol. Peculiare in id epigrammate invehitur Warnek, lib. 3 p. 88. quod mihi latine ita liceat transferre:

Mascula Germanæ cecidit facundia vocis:
Et calamum fanies foeda cruore replet.
Ulcera non miror tanto confecta veneno,
Gallica nam linguam vexat averna lues.

Quæ pestis nonnunquam ad altaria ipsa caput extulit, ut casu ludicro confirmat Richter. *quæst. misc. p. 163.* De vestitu, quid dicam, cum Germanis objici vulgo soleat illa fabula, quam Manlius etiam enarrat *collect. p. 343.* de pictore jussu Imperatoris Turcici omnium gentium habitus pingente, inque iis Germanum nudum variis pannis stipatum exprimente, quod iste ob omnium imitationem certa vestitus forma pingi nequeat, in qua imitatione cum Gallos præcipue respicere soleamus, optime judicavit Ulricus Dux Wurtembergicus, *novum vestitum introducere novos mores, novos mores introducere novos homines, novos homines expellere veteres, Lansius orat. pro Germ. 1.* Quid de ciborum condimentis aliisque dicam rebus innumeris, quæ in Gallis mirari solemus admodum, eoque ipso extollere fastum ipsis innatum, cum hac ipsa quicquiliarum æstimatione inferiorem Germaniam declaremus. Idque præcipue, quod sumtuosis itineribus institutis in Galliam ita profuant nostri, ut in ea recondita omnis prudentia videri posset, cum tamen ipsi exteri fateantur summam corrumpelam morum esse in us præcipue

pue nationibus, ad quas proficisci consuevimus plus in Germania virtutis extare. v. Machiav. *de rep. lib. 1. c. 55.* ut recte hoc castiget Sincerus *iiim. polit. p. 14. seqq.* Accedit, quod ipsi peregrinantes teneræ plerumque ætatis sint, & quid videant, quid mirentur, quid denique sequantur nesciant, & circos ludosve majori sollicitudine frequentent, quam eorum consortia ex quibus prudentiores evadere poterant, aut ad summum Gaditano illi se assimilent, qui Titi Livii nomine gloriaque commotus, ad visendum eum ab ultimo terrarum orbe venit, statimque ut viderat, abivit. *Plin. epist. lib. 2. ep. 3.* Utque propius ad eos accedamus, qui litterarum studiis se consecraverunt, ingens eorum & superfluus numerus non parum eidem exterorum fastidio viam struxit, de quo speciali tractatu, cui titulus: *Germania militie suo destituta & literaris ceu mole laborans*, questus effudit Anonymus & Magnif. Dn. Struv. *in introd. ad not. rei liter. cap. 5. §. 13.* Unde tantus scribendi appetitus, ut Barclaio *icon. anim. c. 4.* Germani videantur, *homines minus sciendi avidi, quam docendi, plura, quam legerint, scribentes, & suam famam ex voluminum, qua edunt, numero aut magnitudine astimantes.* Sed summa tanti Gallorum adversus Germanos odii causa restat, religionis dissidium. Cum enim Deus repurgatae doctrinæ celestis dono nostram præcipue Germaniam beaverit, ut non inepte de Germanis prædicetur, quod olim scripsit Æn. Sylvius: *adeo magna est vestra (Germanorum) natio, ut nulli genti cedat, meritoque illud affirmari possit, quia deest gens tam grandis, que habeat Deos appropinquantes sibi, sicut adest Germanico populo Dominus Deus noster,* citante Arumæo *tom. 1. disc. 33. §. 4.* injuria hæc visa est papicolis, quod non ipsius Germaniæ tantum tot opes, sed per illam aliarum quoque nationum divitiæ faucibus anhelantibus eriperentur. Unde Monachi præcipue, Gramondo teste, *lib. 6. hist. Gall. gens desidiofa, qui pessimo*

C

apud

apud Gallos exemplo miscere se publicis juxta & privatis rebus, jura in omnibus pro libidine usurpantes, permoti sunt, ut cum ipsam religionem intervertere non possent, omnia evomerent in populum illum, qui primus ejus veritati factes submiserat.

14. Neque tamen hæc omnia tanta sunt, ut Galli, siquidem ea prudentia pollerent, qua videri volunt, iis incenderentur. Sicuti enim illæ causæ, quas ex ipsorum partibus adduximus, aperte produnt animum a vera virtute quam maxime alienum: ita nec illæ, quas ex ipsorum partibus adduximus, aperte produnt animum a vera virtute quam maxime alienum: ita nec illæ, quas Germani ipsi suppeditant ad tantum odium sufficiunt; sed debebant illi, etiam si de nobis non adeo bene sentirent, contemptum tamen cordi premere, & loqui modestius. Ipsum enim hoc, qua nostri laborant imitandi studium, quantum Gallos locupletaverit, manifestius est, quam quod demonstratione egeat. Quid, quod idem aliis populis commune vitium est, ut non in solos Germanos invehendum ea propter sit, sed in alias nationes omnes. Italis quidem hoc proprium esse, laudatis aliis populis omnibus, testatur autor Italus, continuator Boccacini nella Secretaria di Apollo p. 351. ubi inter alia plurima, è una gran vergogna, inquit, che mentre tutte l'altre nationi ritengono la maggior parte de' loro usi e riti, la sola Italia (quasi che i propri sieno dispreggiabili, e pur sono stati gli esemplari de' gli altri) raccogliendone quà e là, sembra la bertuccia del mondo. Ex quo Gallorum lingua apud nos invaluit, inventi semper sunt, qui, cum nihil ad nos apportarent, posteaquam aliquamdiu hunc sermonem apud nos professi sunt, omnium rerum apparatu largiter instructi in patriam remigrarunt: ne dicam sæpius larvam hanc exploratoribus optima pro obtinendo scopo remedia suppeditare. Nec minores divitias per merces suas Gal-

li e Germania ad se traxerunt, cui vestimentorum imitatio ausam dedit precipuam. Magis tamen carpendi videntur, qui in levis ingenii documentum grave, talia invenunt, quam, qui decepti postea eadem assumunt. Ex peregrinantibus autem junioribus universam gentem judicare velle, non minus est frivolum, quam si nos in Gallia nil nisi ludos aut choreas vigere vellemus credere, quia nostrorum multi nullam nisi horum scientiam reduces acquisiverunt. Ast litteratorum mole & scribendi pruritu, licet Germania æque ac aliæ regiones laboret, nulla tamen causa est, cur illi hoc soli objiciatur, quod ad plures, ne dicam omnes transferri potest. Jam olim Juvenalis inter Romanos reprehendit, quos tenebat sanabile scribendi cacoethes, & de Italis idem conqueritur la Secretaria di Apollo p. 94. Apud Gallos, quot futiles libelli singulis pene diebus prodeant in aprico est, quorum ii etiam, qui prudentiores videri volunt, ad otiosas Romanenses relationes confingendas animum applicant, & ne rescipiscere unquam velle videantur, ab illis nostro quidem tempore ad aniles plane fabulas transferunt, in quibus ne tantillum judicii apparet: quamquam in alios etiam scriptores sapissime quæderet illud Ducis Sparnonii, apud Vigneul. Marvill. rom. I. p. 195. eos terribili ventris fluxione laborare, & singulis mensibus libros cacare. Religionis denique cultura, quo majorem laudem nostratibus conciliat, eo turpiori labe adspersit eos, qui hanc odii causam prætexunt, & eo ipso dissimulare volunt eximium, quod exinde commodum perceperunt, quod ubetius demonstravit Joh. Frider. Meyer. in dissertat. quantum pontificis reformatio Lutberi profuerit, nec repugnant ipsi Romanæ fidei addicti. v. Vigneul. Marv. rom. I. p. 29. rom. II. p. 68. & p. 169. Jonstonus de natura constantia p. 74.

15. Hoc igitur adeo injurioso Gallorum supercilio commoti sunt etiam Germani, ut hanc a se contumeliam averterent, & quid apud istos in litteris præstitum fit, ostenderent. Et impudentissimus quidem obrectator Bouhoursius inter ipsos populares suos adeo non meruit approbationem, *que les Eugenes & les Aristes, qui pensoient triompher de leurs ennemis, par leurs insultes, tombèrent entre le mains d'un Critique sévère, qui leur fit la barbe de si près, que les pauvres gens en sont demeurés tout écorchés, ut loquitur Vigneul. Marvill T. 1. p. 376. Quem præter hunc CLEANTHEM personatum confutat etiam CHEVRÆUS in Chevræan. T. 1 p. 91. & ex nostris JOH. BRAUN Palatinus in selectis sacris lib. V. p. 675. seqq. Generatim Gallis contradicunt & Germanorum merita ostendunt alii. Celeberrimus quidem MORHOFIUS proposuerat sibi singularem Dissertationem de meritis Germanorum in rem litterariam, quam promittit Polyb. Tom 1. lib. 1. cap. 8. § 50. & in introd. ad lingu. & poef. Germ. Tom. 11. cap. 4. p. 248. sed non licuit ipsi absolvere opus, quod futurum erat absolutissimum, & ab omnibus vehementer desiderabatur. vid. Mollerii proleg. ad Morhof. polyb. §. 87. Tenzel. dial. mensl. de anno 1692. p. 603. Clarmund. vid. clar. vir. Tom. V. p. 236. Fragmentum tamen insertum est volumini dissertationum academicarum 1699. excuso. A quo si discedas primæ debentur Salanæ nostræ, quæ tacendo etiam injustas calumniatorum obreccionum refelleret exemplis innumeris luminum, quæ hic effulserunt, splendidissimorum. Et quantum disciplinæ peculiare Germanis vindicatæ Academiæ huic debeat mox videbimus. Generatim vero virtutes nostratum ostendit Illustris Idicæ facultatis ordinarius, Dn. Joh. Phil. SLEVOGTIUS pro-grammate de ingenis Germanorum. anno 1694. Quo eodem anno Joh. Frid. CRAMERUS in epistola ad Frid. Ben. Carpovium vindicias nominis Germanici contra quosdam ob-*

erectores Gallos suscepit, impressas *Berolin, fol.* in Belgio postea recusas. Michael RICHEY antehac patrii Gymnasii rector, Gallorum quorundam de Germanorum ingenii judicia iniquitatis convicit *programme peculiari Stada 1705. 8.* Facit huc etiam Bernh. Petr. KARLII *Dissert. de Germania artibus literisque nulli secunda Rostoch. 1698.* & M. C. FEUSTELII *sebediasma ad Henr. Pippingium de eruditorem Germanorum vitis contra iniquas Gallorum nonnullorum censuras. Lips. & Gorlit. 1707. 8.* Sed speciali consilio nonnulli quasdam tantum disciplinas aggressi sunt, & quid in illis præstiterint Germani demonstrarunt. Mathematicas quidem scientias illis debere suum fastigium in alma hac primus commonstravit Excellentissimus Mathematicum & Naturalium Professor Dn. HAMBERGER *programme de meritis Germanorum in mathesi orationi inaugurati præmissa 1694.* Eorundem merita in historiam aospicali oratione prædicavit Magnif. Dn. STRUV 1705. juncta postmodum *supplementis ad notitiam rei literarie 1710.* Præstantissimi Polyhistoris Conr. Sam. SCHURTZFLEISCHII *de meritis Germanorum in Græcas literas extat dissertatio inserta postmodum disputationibus conjunctim editis.* In rem orientalem eorum merita ostendit Rud. Mart. MEHLFUHRER *Alorph. 1698.* quod ex Gallis ipsis Paulo COLOMESIO propositum fuisse, video ex ej. *præfat. in Galiam orientalem.* In rem medicam ingeniosissimus Medicus & Professor Dn. Joh. Jac. BEYER *ibidem 1704.*

16. Unde de inaugurali themate sollicitus existimavi, digniorem me non inventurum esse materiam, quam si ad exemplum tantorum virorum merita Germanorum etiam in juris studio colligerem, atque omnium oculis exhiberem. Sicuti autem totam nationem Gallicam odio non prosequimur, quod aliqui ex ista nos indigne tractent, ita nec ista dissertatio ea mente scribitur, ut vicissim nostratibus odium adversus Gallos inspire-

mus ; aut dotes a Deo ipsis concessas vilipendamus. Condonabunt tamen nobis cordati Galli , si conterraneis tam abjecte de nobis sentientibus ostenderimus, tantum abesse, ut Germanos in rebus ingenium & iudicium spectantibus multis parasangis superent, ut nos potius illis sæpe præferendi videamur. Ipse Apostolus Paulus, cum in comparatione reliquorum Apostolorum a perverfis hominibus contemptim haberetur non passus est dona sua divinitus concessa sperni, ut etiam non vane gloriaretur, se plus reliquis omnibus Apostolis præstitisse *1. Cor. VII. v. 10. & 2. Cor. VI. 23.* ubi tamen non sibi, sed Deo hanc gratiam fert acceptam. Hoc exemplum nobis ita imitandum proponamus, ut dotes a nobis divina gratia excultas, Deo soli adscribamus ; cujus auxilium ad hoc opus rite perficiendum pia mente expetimus,



CAP. I,

CAP. I.

De Jurisprudencia & Germanos
in genere.

Contenta.

AN Prudentia sit mera res memorie 1. quam Galli Germanis solam tribuunt 2. Prudentia est res ingenii & judicii 3. idque verum est tam in Legislatoria 4. quam doctrinali 5. Et Judiciaria 6. Fœmina rarissime Jurisperita 7. Prudentia utilitas & dignitas 8. Germanorum nomen comprehendit etiam Belgas & Helvetos 9. tota Germania Jctis inclutis abundat, qui in alijs terris deficiunt. 10.

§. I.

Merita Germanorum injure contemplantibus, ipsa primum Juris & Romanorum vocabula accuratius pensanda veniunt, non ut secundum omnes antepredicamentorum ordines ea præter rem examinemus justo scrupulosius; hoc enim ipso verendum esset; ne Gallorum obtrectationes, quibus occurrere constitutum est, incurramus; sed ut eadem opera viam dicendis muniamus. Et de Jurisprudencia quidem ante omnia dispiciendum est, num, quod asserunt artis hujus consummatissimæ ofores ignorantes, illa sola absolvatur recordandi facultate, an vero ingenii quoque & judicii vires ad eam excolendam requirantur, sine quo otiosa foret, integra, quam suscipimus pertractatio.

Ne

2. Ne enim plane pecora e Germanis effingere videantur cavillatores iniquissimi, ingenio judiciove penitus sua quidem sententia destitutis relinquunt acrem memoriae facultatem, laborisque assidui tolerantiam. Ita sane de Germanis Barclajus in icone arion. c. 16. p. m. 519. *Vis mentium ut opaca, ita ad aternitatem laborum est robusta: ut ceteri melius quidem scire, illi vero plura possint. Ex optimatibus multi qui suis opibus moribusque contenti, unam Germaniam aut viderunt, aut mirantur, licet suo judicio gravissima prudentia conscii humanitatem nostri seculi parum habent. Verba illis simplicitatis antiqua, neque scientiarum vis hodierna sapientia coloribus cincta. Peregrinandi gens avida, & exterorum morum, dum se receperit domum, aut simulatrix, aut retinens &c. & postea p. 528. nullam gentem tot conceptis formulis agere, etiam eorum memoriam fallentibus quos a puero illa ars & tot discriminum superstitio exercuerit. Quo pertinet etiam, quod idem in Euphormione part. 2. p. 358. sub Thebanorum larva Germanos ab omni ingeniorum subtilitate exclusos stupidosque laborum plusquam industriae capaces autumat. Scurrilis plane & iniqua est Itali in prefat. ad Alstedii encyclop. oratio, quae Germanorum animas non ut hominum aliorum in cerebro sed in dorso habitare ac Mineravam in harum terrarum scholis Academiisque mulos suos alere, audacter asserit; quam tamen laudat Ballietus jugem. des Scavans tom. I. p. II. c. 7. & addit, Germanos licet ad difficillimas scientias penetraverint par leurs longues meditations & par leur industrie particuliere, n'hilo tamen minus tot labores acquirere sibi non potuisse des qualites, que la nature n'a point jugé a propos d'accorder aux esprits, qu'elle a renfermés dans des corps robustes & environnés d'un air froid. & grossier, Simile Gesneri occasione Marefius lib. 2. ep. 26.*

Ger.

Gesnerus ex scriptis non tam ingenii, quam laboris & industria laudem tulit, ut sunt omnes Germani in studiis laboriosissimi.

3. Aut ergo nihil penitus agemus ad ipsa Germanorum in jure merita statim transeuntes, aut Jurisprudentiam vim atque requisita breviter reputantes, has ipsas calumnias uno ictu removebimus. Quod si verbis verba reposuisse sufficeret, allegandus vel solus esset ex Gallis ipse Vigneul-Marvillius *melang. T. II. p. 51. ibi*: *il faut beaucoup de memoire, & encore plus de jugement pour l'etude du droit civil. &: rien n'est plus propre à fermer la raison. & les moeurs, que l'etude du droit Romain.* Quod si ille de civili Romanorum jure affirmare non dubitat, ad cetera multo magis applicandum erit. Simile judicium est Abbatis Fleury *du choix & de la conduite des etudes cap. 25. pr. pour la Jurisprudence comme elle depend moins de l'imagination, & quelle a beaucoup plus de raisonnement, il faut attendre, que l'esprit soit plus accoutumé à s'appliquer & que le jugement soit plus formé &c. & ib. p. 188.* Certe etude est bien aussi utile, pour le moins, que la philosophie, que l'on leur enseigne, & n'est pas plus difficile. La philosophie, dit on, exerce l'esprit des jeunes gens, & les rend subtils. Aussi seront les subtilités du droit qui serviront à faire mieux entendre le principal. Olim certe Ictos per eminentiam prudentes appellatos esse liquet ex *S. 3. I. de I. N. & G. l. 7. ff. d. J. & J. l. 2. §. 5. de O. J. & ipsa Jurisprudentiae vox prudens iam deposita, hoc est aptitudinem leges rite ferendi, latas interpretandi, & ad facta applicandi.*

4. Omnis quippe Jurisprudentiae vis tribus istis continetur, adeoque illa est vel legislatoria, vel doctrinaria, vel judiciaria. Cumque philosophi judicandi facultatem omnem in ingenium, quod ideas apte conjungit, & judicium strictius ita appellatum, quod eas rite secernit, soleant dispecere, utramque certe in singulis Jurisprudentiae speciebus concurrere necessum est. Legislatoria Jurisprudentia acutum requirit ingenium &

D

ju-

judicium exactissimum; cum non solum inveniendum sit, quod omnibus videatur proficuum, sed idem illud ad ceterarum sanctionum harmoniam redigendum, & ad salutis publicæ normam examinandum, ne leges utilitatem spuriam reipublicæ pro vera sequantur. Vid. Illustris Dn. Thomafius in *programmata German. de an. 1702.* Unde sapientibus Græciæ stamina Græcarum legum debentur, quorum justitiam æque ac prudentiam explanavit pluribus Sum. Rever. Dn. Buddeus de *sapientia veterum*, & Gröning *bibl. jur. gent. Tomi II. lib. I. c. 3.*

§. Doctrinalis autem Jurisprudentiæ, eadem plane sunt necessaria; nec ingenio nec judicio carere potest, qui ad interpretationem animum applicat, cum & omnes circumstantiæ conjungendæ sint, & ex variis conjecturis tentanda legis explicatio, tum rite denuo sejungendæ & ex pluribus veras sensus eruendus sit. Scire enim leges, non est verba earum tenere, (quod memoriæ) sed vim ac potestatem (quod ingenii & judicii) *l. 17. ff. de LL.* nec verba legis captare oportet, sed qua mente quid dicatur animadvertere *l. 19. ff. ad exhib.* Doctores legum his imprimis pollere debent, ne ex auditoribus martyres efficiant, & præter caput ferreum, culum plumbeum, & crumenam auream, nihil in iis requirant amplius, aut si difficilius videatur ad themidos sacra aditus, pro ostendendis viæ compendiis, nil acclamare sciant, nisi solamina misera: difficilia, quæ pulcra; Labor omnia vincit improbus; Nihil tam difficile, quin querendo investigari possit; Tu ne cedis malis, sed contra audentior ito; & quæ alia sunt istorum dictoria, qui, quæ suæ tribuenda erant imperitiæ, in tractandum opus rejiciunt, & infelicitè satis ad se applicant *l. 27. §. 29. ad l. Aquil.* Nam & juris scientissimus in docendo imperitus esse potest, quia secundum illud: non solum aliquid scire artis est, sed est etiam ars quædam docendi. Illa vero difficultas maxi-

mam

mam partem adimetur, si jactis ante omnia justis principiis, ex iis regulæ & ex his demum conclusiones deducantur, & in omnibus ingenii & judicii auxilio rerum & convenientia & discrepantia probe examinetur, sic enim nec in illud incidemus, quod olim JCti objiciebat Cicero; JCti sive erroris objiciendi causa, quo plura & difficiliora esse videantur, sive (quod similis veri est) ignoracione docendi sæpe quod positum est in una cognicione, id in infinita dispertiantur; nec sane audietur Aneas Sylvius, qui in *ep. III. p. 187. quid mihi, inquit, hanc disciplinam juris tantopere laudas, cujus Asini possunt esse præceptores.* quod judicium ex ignorantia juris profuxisse ostendit *Limæus Jur. Publ. lib. 8. c. 4. n. 18.*

6. Judiciaria superest, quæ nec in iudice nec in advocato ab ingenio & iudicio remota esse potest. Cum enim illa consistat in debita juris ad factum applicacione; impossibile est, ut applicanda inveniantur sine ingenio, modus applicandi fiat sine iudicio. Judicem imprimis ipsa vocis vi iudicio valere oportet, & ut sine illo concipiatur fieri vix potest. Advocati autem ingenium actiones vel exceptiones ad rem facientes invenire debet, iudicium eas investigare, & utiliores seligere. Ita demum advocari, qui dirimunt ambigua facta causarum, suæque defensionis viribus in rebus tam publicis, quam privatis lapsa erigunt, fatigata reparant, providentes erunt humano generi, *l. 14. C. de advoc. divers. judic.*

7. His invictis argumentis adjiciamus aliud, levius quidem, sed tamen forte non plane impertinens, quod JCti nomen viris proprium videatur, cujus gloria ad sequiorem sexum facile non transeat, unde & in juris ignorantia foemina nostræ leges succurrunt. Prostant libelli varii, qui in eruditarum foeminarum laudes se diffundunt, & quod in tanto cumulo solet fieri, multas immiscent,

quæ vel ultra vulgum paululum valde superunt, vel in quibus ne tantillum quidem invenias, quod vel aliquo modo ad ullam eruditionis speciem referre possis. Testantur hoc in reliquis nonnulla, quæ a primo commendatore suo non alia ex causa, quam ex amore ultra limites turpi vitio excurrente doctorum catalogo insertæ, ab aliis in eadem postea materia versantibus facile pro talibus constanter venditantur. Probari hæc exemplis possent, nisi magnis & viventium nominibus hæc quidem vice parcendum videretur. Sed quantacunque etiam fit mulierum sive vere eruditarum, sive pro talibus injuste celebratarum congeries, quibus theologia, medicina, philosophia, mathesis, historia, eloquentia, linguæ, artes mechanicæ tribuuntur, vix tamen unam aut alteram invenies, cui hæc adire Corinthum, & Jurium excelsum fastigium non dicam conscendere, sed attingere licuerit.

8. Laudavimus Jurisprudentiam ab ingenio & iudicio. Idem fieri posset ab utilitate. Sed cum illa sine applicatione ad certa objecta recte intelligi nequeat, consultius videtur, capitibus infra secuturis eam in singulis juris speciebus sigillatim contemplari. Ex quibus omnibus constat certo, dignissimos esse JCTos, qui nominibus splendidissimis compellentur, quæ colligit *Harpr. ad §. 8. J. de I. N. G. n. 3. & §. ult. J. de jur. person. n. 12. seqq. & Limnaus J. P. l. 8. c. 4. §. 6.* summisque privilegiis decorentur *Jac. Benius de privilegiis JCTorum.* Unde recte etiam illi inter literatos statim post Theologos locantur. *Arum. J. P. T. V. Dist. 2. c. 19. p. 200. & Limnaus J. P. lib. 8. c. 4. n. 7. seqq.* & privilegiis doctorum vel maxime fruuntur Doctores Juris secundum *Berlich. p. 2. concl. 28. n. 38.*

9. Merito ergo disciplinæ tam illustri se manciparunt Germani nostri; quorum tamen nomen Batavos etiam

etiam & Helveticos comprehendit, non quod vel sine illis Germaniæ strictè sic dictæ limites Ictorum numerum sufficientem non contineat; hoc enim specialis tractatio mox ostendet: sed quod istæ regiones sub Germania communiter comprehenduntur, & membra imperii nostri constituerunt. Accedit, cognatio linguæ *Arum*, de *comit. c. 5. n. 38.* & institutorum *Cluver. Geogr. lib. 2. c. 18.* add. *Boccalini cent. 2. ragguaglio 6.* unde utramque pro Germaniæ parte habere consueverunt Geographi prope modum omnes, inter quos sufficiat nuncupasse præstantissimum Gallorum Geographum Regium SANSONIUM, qui Belgium inferiori, Helvetiam superiori Germaniæ adscribit *p. m. 91.* Et Belgium quidem inferioris Germaniæ nomen fert, & quod ait *Kramerus in vindiciis nom. Germ. Causam communem nobiscum facere non recusabunt, qui e superiore Germania insignia atque æterna & suæ & reip. literaria lumina ad se evocarunt, quique quod ad ingenii laudem attinet, eodem, quo omnes Germani loco habentur a Gallis.* Facit huc assensus Comitis Henrici Nuenarii *in orat. ad electores. Belgium, inquit, a Germania non sejungimus, moti præter alias, eum fortissimas, tum efficacissimas rationes, autoritate præclarissimorum & amplissimorum virorum, quod militavit etiam pro Carolo V. Gandavi nato. v. Arum. J. P. Tom. I. Disc. 6. p. 29. & comment. ad A. B. Disc. 2. § 4.* Helveticos autem eo facilius nobis vindicabimus, quo breviori temporis spatio ab imperio sejuncti sunt, & quo minus a Germaniæ moribus abierunt. *add. Linn. I P. lib. 1. c. 9. § 35. Ab. Frisch. in addit. Arum. I P. T. I. Disc. 14. § 6. Tom IV. Disc. 43. c. 5. n. 8. & v. de comit. cap. 4. n. 129. Magnif. Dn. Struv. S. I. P. Diff. 4. §. 7.*

10. Justo ergo conceptu formato tum de Jurisprudentia, tum de Germanis; ad ipsam tractationem transeamus, quæ commodissime peragetur, si singulas juris species seorsim intuebimur, & quid in singulis populares

nostri laudis commemerint explicabimus. Ita cum aliorum studio ostensum sit, modum non excedere in prædicanda Germania laudati Geographi Galli SANSONII elogium; *modernos illius incolas, ab antiquis fortitudine & robore non distare, animi autem cultura illos immensum superare, utpote qui in omnibus artibus & scientiis progressus fecerint tales, ut alias nationes facile superare videantur. Instrumenta pacis æque ac belli, typographiam puta atque tormentorum usum illis debere inventoribus. Linguas græcam, latinam, Ebraeam, ceteras orientales callere egregie, abundare oratoribus facundis, disputatoribus perspicacibus, medicis celeberrimis. Mathematicis autem consummatissimis omnes totius Europe regiones provocare posse v. ej. Geogr. p. 91. ex hac etiam opera patebit, quod ibidem Sanson asserit, Germaniam Ictis peritis & prudentibus esse fertilissimam. Quod eo majori laudi cedit patriæ, quo minus habent aliæ regionæ, quod istam hac saltem in parte æquare possit. Italia certe, si non mater legum, earum tamen quondam tutrix, adeo jam in earum cura remissa est, ut cum Germanus Juvenis Italiæ monumenta perlustrans, a magno & perpetuo Etruriæ decore Antonio Magliabechio interrogaret, quidnam imprimis apud Italos Icti hodie celebrarentur, nil a viro summo responsi ferret, præter id solum: *Fuinus Troes. Fateri cogentur idem Galli, quorum splendidissimi antehac Jurisperiti eum in modum sine successoribus intertulerunt, ut inter hodiernos eorum scriptores complures, vix quid sit Juris prudentia, distincte percepisse videantur. Hispani cæterum satis gloriosi exteris tamen in hoc studio loco cedunt ipsi v. Anton. Pichardus in præfat. comm. ad Inst.* ubi se primum omnium Hispanorum in Juris elementa commentari & alex plenum opus aggregi nimum quantum jaëtat. De quo inferius, ubi ad merita Germanorum in Jus civile perventum fuerit, pluribus videbimus.*

CAP. II.

CAP. II.

De Meritis Germanorum in Studio Juris Divini tam naturalis, quam positivi.

Contenta.

Diviso Juris in divinum & humanum. Illius in naturale & positivum. §. 1. Jurisprudentia naturalis utilitas 2. quid in cam contulerint scholastici 3. Bened. VVincler 4. Hugo Grotius 5. ejus opus de J. B. & P. 6. Judicia de eo sinistra examinata 7. Commentatores 8. Puffendorsius 9. ejus Elem. Jurisprud. univ. 10. Jus N. & G. item de O. H. & C. 11. comparatio cum Grotio 12. commentatores 13. aliorum Germanorum in Jurisprud. nat. merita. 14. Exterorum conamina 15. Merita Germanorum in Jus divinum positivum 16. universale 17. & particulare 18.

§. I.

Generalissima Juris divisio est, qua in divinum & humanum dispescitur. Creato enim ad Dei imaginem homine, cui subjicerentur reliqua, ipse inter ea, quæ videmus omnia, ne æqualem quidem initio, nedum superiorem inveniebat. Solus erat Deus, rector universi, ad cujus leges adstringebatur, cui omnia debebat, cum ceterorum auxilio opus non esset. Sed, cui leve hoc jugum videbatur intolerabile, inobedientia sua in longe gravius incidit, posteaquam occæcato per lapsum intellectu, depravataque voluntate, directione majori frenisque pluribus indigebat. Cœperunt ergo etiam leges

ges hominum, solamenque miseris relictum est, quod non inferioribus, quam quos natura sibi æquaverat. obedire necesse sit. Et humani quidem juris divisionem inferius evolvemus. Divinum autem in naturale & positivum distribuimus, prout ex ipsa natura quid agendum sit, quid omittendum, innato lumine colligimus, vel ex peculiari revelatione dignoscimus.

2. Utque a naturali jure, tanquam omnium antiquissimo, inchoemus, cujus laudes intervertere conabatur olim nonnullorum invidia, hodie forte nemo non celebrabit, nisi is, cui nullum celerius suppetit remedium, quam ea, quæ turpi negligentia ignorat, audaci supercilio rejicere. Nolo jam quid per eam aliis disciplinis, humanoque juri accedat adjumenti, proluxa oratione recensere, quippe sufficit illud solum, quod controversæ inter summos imperantes obortæ, quæ gravitate omnes antecedunt, & sæpe integra regna concernunt, ex hoc potissimum fundamento decidi debeant. Pacta enim non semper ad sunt, & si ad sunt, ad aliquam communem regulam applicanda & secundum eam examinanda sunt, qualis tamen si a naturali jure discedas, præter jus divinum positivum, quod Christiani Imperantes inter se agnoscunt, aliunde desumi non poterit. Cum risu enim explosi jam dudum sunt Jci Hispani, qui in lite amplissima de Portugaliz successione Philippi II. jura ex Romanis LL. magno apparatu defendere ausi sunt. Sed ipsi etiam subditorum conscientia fortius injicietur vinculum, si naturali quadam obligatione obstrictos se videant ad potiora capita eorum, quæ civili jure præcipiuntur aut interdiciuntur. Nec audiuntur a multis hodie, qui nil nisi magnum se spirare autumant, quando in scriptis suis bina quævis verba, eaque sæpius e trivio petita sexcentis magnæ autoritatis Ddrum nominibus corroborant, rejecta interim naturali J rudentia, quæ non autoritate sed ratione nititur, tanquam doctrina vulgari

gari profuente ex vulgaribus principiis nemini igno-
tis. Quasi illud flocci habendum esset, quod ex ipsa na-
tura profuit, & Pythagoras cum hecatomb e sua cachin-
num mereatur ideo, quia celeberrimum ipsius theo-
rema, tandem in difficiliora principia quam 2. 6. & 8.
Euclidis axiomata, quæ & rusticis maxime stupidis
ignota esse nequeunt, non resolvitur.

3. Merito igitur extollendi sunt Germani, quorum
in Universali hac J. Prudentia eum in modum viguit assi-
duitas, ut merita eorum in hac juris parte indicare, ni-
hil ferme sit aliud quam historiam J. Prudentiæ naturalis
conscribere. adeo illis pene totum debetur, quidquid
in genere Systematis Juris Naturalis aut formæ artis pe-
culiaris præstitum est singulare. Nolo jam ad SCHOLA-
STICORVM ætatem excurrere, de quibus nonnulli judi-
cant, quod in corrupenda, quam emendanda hac do-
ctrina fuerint diligentiores. Sed hoc, si quid est gloriæ,
exteris lubens relinquo, qui cum GVILIELMO CAMDENO
disputent, quænam gens altera tanquam Pædagogo usæ
fuerit. v. *Morbof polyb. T. II. Lib. I. c. 14. §. 73.* quanquam
non omnino erraret, qui, si temporum magis illa culpa sit,
quam hominum, aut sub illo etiam quisquiliarum acer-
vo boni quid lateat, in hoc etiam Germanos ceterarum
nationum pædagogos assereret, cum princeps Schola-
sticorum Thomas magistro Germano, Alberto M. usus
sit. Ne ceteros jam, qui e nostris prodierunt, Schola-
sticos operose conquiramus.

4. Ad superius enim seculum deproperamus, in
quo natalem suum vidit tandem naturalis Prudentia, in-
nitidum quoddam Systema redacta. Neque discepta-
bimus jam, an a Benedicto Wincklero, an ab Hugone
Grotio hujus doctrinæ deducenda sint primordia; cum
sufficiat, quod uterque Germanus fuerit. Et WINCKLE-
RI quidem labor, qui Grotium integro decennio ante-
cessit,

E

cessit,

cessit, cur tam paucos sectatores invenerit, miraretur forte, qui illorum temporum gustum ignorat, quibus veterum testimonia & exempla, si non plus, idem tamen valebant, ac regulæ maxime sibi constantes, & scholasticorum dogmata contradictionem non ferebant. Cui adderes, quod cum reliqua omnia in illo Winckleri de principiis juris libro præfuta sint optime, naturalia tamen & positiva sæpius inuicem commisceantur. Quamquam pretium illius operis non immerito evehat Dn. Beyer in *notis, libr. 7d. p. 60.* & Dn. Ludovici *delin. hist. jur. div. §. 24.*

§ Hæc autem omnia observavit optime & perfecit HUGO GROTIUS, quem ipsorum Gallorum potius, quam nostro iudicio laudabimus. Hic est ille Grotius, quem rigorosus alioquin Germanorum censor, Joseph Scaliger in ipsa pueritia pro portentoso juvene agnovit. *v. Clarm. vit. clar. vir. tom. 3. p. 105.* Salmasius virum excellentissimæ doctrinæ in omni genere litterarum vocat, *exerc. in Solinum.* Causaubonus felicitatem suam ait se satis deprædicare non posse, quod consuetudine maximi viri Hugonis Grotii interdum fruatur. Virum admirabilem appellat, cuius divini ingenii præstantiam nemo satis capiat, nisi, qui vultum præsentis viderit. Omnes doctos & pios illius admiratione similiter affectos asserit *ep. 738.* Louis Auberin, quem citat Dn. Ludovici *del. hist. jur. div. §. 26.* meminit se audivisse a viris summis, que Mr. Grotius etoit le plus universellement savant homme, qui eut parù dans le monde depuis Aristote. Qu'il etoit Humaniste consommé, bon Poete, Grec & Latin, parlant & sachant bien toutes les langues tant mortes, que vivantes, grand theologue, grand Juriaconsulte & grand Historien. Immo & eminentissimorum Cardinalium encomium promeruit. A Richelio quidem Grotium in celo positum esse commemorat Cramerus in vindiciis, Mazarinus autem teste Vigneul Marvillio

villio melang. T. 1. p. 4. dicere solitus est, qu'il ne connois-
 soit au monde, que trois hommes souverainement scavans, qui et-
 oit Mr. de Saumaise, Grotius & Bignon. Qua occasione e-
 leganti inter Grotium & Salmasium instituta compara-
 tione, citat. autor illum longe huic præfert, & inter plura
 alia his Grotii laudem finit : Son erudition est comme un
 grand fleuve, qui se repand largement, & fait du bien à tout le
 monde. Autant d'ouvrages de Grotius, autant de chef-d'œu-
 res en tout genre, ce qui est sans exemple chez les anciens & chez
 les modernes. Jamais Auteur n'a mieux choisi ses sujets d'ecri-
 re. Il s'agrandit avec eux & ils s'agrandissent avec lui : Cre-
 scit cum amplitudine rerum vis ingenii. Cum quibus conve-
 nire videtur Colomesius bibli. chois. p. 193. Hugues Grotius
 parait grand critique dans son *Martianus Capella*, dans son *Ara-
 tus*, dans son *Stobée* & dans ses notes sur *Lucaïn* & sur *Tacite* :
 grand Jcte dans les traités de Droit écrits en Flaman & dans un
 livre qui a pour titre, *Sparso florum ad jus Justinianæum* : grand
 traducteur dans l'histoire des Gots & des Vandales de *Procopé* :
 grand historien dans sa dissertation de l'antiquité de la republique
 de Hollande, & dans son histoire de Flandre : grand politique
 dans son livre de *jure belli & pacis* & grand theologien dans son
 traité du pouvoir des souverains dans la religion, dans celui, qu'il a
 fait contre *Socin*, dans celui de la vérité de la religion chrestienne,
 & dans ses observations sur l'écriture &c. & *Barbeyracius in
 præf. ad Puffend. de I. N. & G. §. 28.* Une netteté d'esprit extra-
 ordinaire, un discernement exquis, une profonde méditation, une
 lecture prodigieuse, une application continuelle à l'étude au milieu
 d'un grand nombre de traverses & des fonctions, de plusieurs em-
 plois considerables ; un amour sincère de la vérité ; ce sont des
 qualités qu'on ne scauroit refuser à ce grand homme, sans faire tort
 à son propre jugement, & sans donner lieu de se faire soupçonner
 d'une envie noire, ou d'une grande ignorance.

6. Incomparable Grotii opus de *Jure belli & pacis*
 instar omnium effert Colomesius p. 134. On pretend-
 que

que Grotius ait mis tout son esprit en ce livre, & qu'il en pouvoit dire ce que Casaubon dit de son commentaire sur Perse dans une lettre a Mr. Perillau son parent, qui n'est pas imprimée: In Persio omnem ingenii conatum effudimus. L'ouvrage de Grotius est en effet une excellente pièce &c. & Bignon in epistola ad Grotium ibidem citata: J'oublie de vous remercier de vostre traité de Jure belli, qui est autant bien imprimé que le sujet le merite. On m'a dit, qu'un grand Roy (Gustave Adolfe Roy de Suede) le tenoit toujours devant lui, & suis tres persuadé, que cela est, parce qu'il n'en peut arriver que du bien infini, ce livre mettant la raison & la justice en une matiere qu'on croit ne consister qu'en confusion & injustice. Ceux qui se plairont en cette lecture y apprendront les vrayes maximes de la politique Chrétienne qui sont les fondemens solides de tout gouvernement. Je l'ai relu avec un merveilleux plaisir. *Haftenus Colom.* Cui accedit, quod magnus ille literatorum Mæcenas. Peirescius, Gallus. inter suos inveniret neminem, cui tantum opus, quod in litterarum incrementum exoptabat, concrederet sed solus Grotius omnibus ejus desiderii adeo satisfaceret, ut duobus Salmasius illum unum æquipararet *Marville T. I. p. 5.* Singularia, quæ in illo continentur, recensere non potest, nisi qui eum totum vult describere. Sufficit dixisse eum primum certo posito fundamento distinctisque legibus naturalibus atque positivis justo systemate complexum esse ea, quæ omnes stringunt, & ab illis ipsis quoque observanda sunt, quæ ceteroquin dare leges non accipere consueverunt. Specialem ejus laudem alii profecuti sunt, inque iis Illustri Dn. Thomasio in *pref. ad versionem Germanam* §. 29.

7. Neque eam intervertit, quod nonnulli jure & injuria in illo varia reprehendunt. A sola forte religionis inconstantia non satis excusari creditur Grotius, licet injuriam

riam forte patiat. atheismi inchoati accusatus a Calovio Inst. Theol. p. 55 cum nemo ipso melius veritatem existentiae divinae religionisque Christianae demonstraverit. Quamquam in illis ipsis, ubi ab orthodoxorum sententiis recedit, satis jam a commentatoribus notatus sit, ut nullum exinde lectori metuendum sit periculum. Stylus concinnior profectionibus impedimento non erit, & laudanda potius ejus puritas atque elegantia. Incipientium autem desiderio succurrunt tot commentatorum labores. Historia vero recentior quod in exemplis raro adhibita fuerit, forte absque ratione factum non est, cum non eadem, praesertim exuli, in novis factis ratiocinandi detur licentia, quae in antiquioribus. Supplendum tamen & hoc suscepit B. Dn. WERLHOFIUS Patronus & Praeceptor meus post fata etiam celebrandus, cui ad tantum opus nil defuit, nisi aetas longior, tempusque a negotiis vacuum. Philosophis justas ubique definitiones desiderantibus respondet Boeckler in praef. p. 27. Quod autem Jctorum alii Grotium nimis a civili jure recessisse, alii eidem nimium inhaesisse conquerantur, illud manifesto exemplo declarat, quam sit impossibile omnibus satisfacere.

8. Commentatores Grotii si spectes, quis eorum Germanus non fuit? Courtinus scilicet, qui hinc inde notulas subjecit, notatus ab ipso Barbeyracio populari, qui in praefat. ad Puffend. S. 30 postquam ex versione Courtini eum tam latinitatis quam rerum ignorantem arguit, addit: *les notes, qu'il a inserees dans son indice pour expliquer les termes & quelques pensées de Grotius temoignent encore manifestement la même chose. Ses explications sont presque toujours ou fausses, ou imparfaites, ou si en brouillées, qu'elles obscurcissent les choses, bien loin de les éclaircir. Je n'avance rien là, que je ne puisse prouver aisement. &c.* E Germanis autem Feldenus, Grasvinckelius, Bäcklerus, Zieglerus, Osiander, Henniges, Veltbemis, VVaschulerus, Simon, Gronovius, Tesmarus,

Obbrechtus, Muelius, Becmannus suis commentationibus; Schefferus autem, Klenckius, Kulpisius, Viriarius, Voicerus, Simon, Hedingerus, Willenbergius, Mullerus compendiis Grotianis, quantam laudem, alii majorem, alii minorem, non invenerunt? Inchoata enim vel attentata opera Wagenfeldii, Schockii, Rachelii, Alberti, & Schurtzsteischii, non commemoro.

9. Excipiat statim Grotium alterum Germaniæ nostræ in hac Jurisprudentia decus, SAMUEL PUFFENDORFIUS, Fleha-Chemnicensis, qui eruditorum communi consensu secundas tenet post Grotium, de hoc Barbeyrac in dedicatione. *Il a été un savant distingué dans la république des lettres, & un très habile Politique, que son mérite fit connoître à plusieurs Princes, dont il recut des marques particulières de bienveillance.* Dotes viri eximia omnia ejus scripta, prorsus exasciata, potissimum vero historica manifestant, quæ tantum ubique judicium & Styli elegantioris flumen præ se ferunt, ut in eo scribendi genere, omnes omnium gentium labores post se reliquifse videatur. Unde memorabili exemplo post Sveciæ historiam celebratam, cum varia in eo libro gloriæ Brandenburgicæ adversa viderentur, tantum absuit, ut hujus aulæ indignationem incurreret, ut potius ab eadem ad gesta Friderici Wilhelmi colligenda invitatus fuerit, & majoribus adhuc honoribus adauctus.

10. Naturalem autem Jurisprudentiam ita evexit, *que par là il s'est acquis une réputation immortelle, dont tous les efforts de ses envieux n'effaceroient jamais l'éclat.* Barbeyrac. præf. §. 29. Id quod præter complura, quæ de specialibus quibusdam materiis in lucem emisit, trina imprimis ejus scripta indicant. Ipsa elementa Jurisprudentiæ universalis, quamvis auctori suo non satis placeant in epist. ad Boineburgium, aliis tamen non displicuere. Nec sane illa tantæ summorum virorum invidia excepta essent, nisi ea sola viri

viri tum quidem adhuc ignoti majorem spem conciliaf-
sent. Dedicatio operis, quantum placuerit Carolo Lu-
dovico Electori Palatino, docent litteræ Electoris ad Pus-
fendorf. quas habet Dn. Ludovici *del. hist. jur. div. §. 45 &*
Groning. hist. jur. gent. part. 2 lib. 3. c. 10. & eas mox se-
cuta promotio in primum Juris naturalis professorem.
Sed iisdem etiam Baronis Boineburgi favorem mereba-
tur, in quo habent Germani. quem, sive de eruditione
sive de favore in litterarum studia quaratur, Gallorum
Peirescio possint opponere.

11. Ab hoc igitur sollicitatus aggressus est majus
opus de Jure naturæ & gentium Londini demum Scano-
rum, quo Professor Juris primarius evocabatur An. 1672.
absolutum, quod ipsum anno postea favore discipulorum &
superiorum autoritate impulsus in compendium contra-
xit in libello de officio hominis & civis, cujus laudes v.
in Parhalian. *T. II. p. 117.* In hos autem Puffendorffii li-
bros, licet initio consurgerent propemodum omnes, mox
tamen meliori fortuna usi sunt, cum & magnatibus non
displicerent, & sensim in plerasque academias introduce-
rentur.

12. Hinc cum antea Boecklerus in epistola ad Boi-
neburgium, quam habet Groning. *p. 297.* juraret, ne-
minem hominum eo gloriæ processurum, quo processerit
Grotius, sed illum, qui ulla in parte superare contenderet,
posteris ludibrium daturum, jam multorum judicio Gro-
tium in multis æquasse, si non superasse creditus Puffen-
dorffius, quod breviter adferit Lock *de l' education des enfans*
§. 176. Latius autem ostendere conatur Barbeyrac. *pref.*
p. 82. sq. Et ante plures jamdum annos S. R. Dn. Bud-
deus *in hist. jur. nat. §. 37.* nihil deesse putabat, quo mi-
nus Grotio tandem æquaretur, quam ut commentarii &
adnotationes ad illius opus conscriberentur.

13. Sed hanc quoque gloriam abunde consecu-
tus

us est. In opus enim de J. N. & G. præter HERTIUM, Gallice etiam commentatus est JOHANNES BARBEYRAC, cujus in eo labor omnium applausum promeruit, licet hinc inde non diffiteatur, quid Germanis debeat in illis ipsis adnotationibus. Simul versione Gallica eademque elegantissima autorem exhibuit, quod sermone Anglico tentavit Kennetus amplissimis adjectis ibidem notis. In libros autem de officiis Germanorum plures scholia sua ediderunt, Dn. Titius, *Weberus*, *Höchstetterus*, *Pozoleus*, quorum tanquam viventium laudes jam prætereo. Gallica versione & hunc edidit Mr. BARBEYRAC, notis quibusdam subjunctis, quas maximam partem ex ampliore ipsius ad majus Puffendorffii de I. N. & G. opus commentario decerptas esse, asserit Dn. Weber *præfat. 3. ad Puffd. de O. H. C.* Antea jam in eundem sermonem translatus erat ab ANTONIO TEISERIO. Italice etiam id factum licet non editum enarrat *Dn. Beyer not. aut. Id. spec. 2. pag. 124.* Ne addam epitomatores Puffendorffii, inter quos celebres præ aliis sunt S. R. Dn. RECHENBERG, Ruffelius & auctor Jurisprudentiæ Universalis.

¶4. Præter hæc Jurisprudentiæ naturalis columnina præcipua habemus alia nomina laude dignissima. Habemus MEVIUM non certe meritum, ut ex operis pro-dromo de iis quæ restant, sinistre judicemus. Quamvis enim in illis, quæ extant, circa theoreticas quæstiones nimium occupatus censeatur, id idem tamen in Puffendorffiani operis initio contra Gröningium in *hist. jur. nat.* quæ Holmiæ compendio Puffendorffii præfixa est, defendi cernimus. Quod etiam in Mevio fieri requirit æquitas, idque eo magis, cum materiæ practicæ, ad quas aptius adhuc viderur Mevianum ingenium, pari copia, soliditate adhuc majori tractatæ sint in ipso opere fatis vasto, quod sub manibus Illustris & Generosissimi

sisimi Dn. ab Engelbrecht nil expectat, nisi bibliopolam, quem fortassis diu nactum esset opus consummatum, nisi obstitisset præjudicium hoc ex prodromo haustum. Habemus RACHELIVM, qui, præter Ciceronianas annotationes, partim in tractatu de jure naturæ & gentium aliorum exterorum præcipue circa illud sententias vocavit sub examen; partim in institutionibus JPrudentiæ illius ad Jus civile applicationem docuit. Habemus ULRICUM HUBERUM, cui Jus publicum universale tanquam altera pars JPrudentiæ naturalis præ aliis est obstrictum. Habemus Valentinum ALBERTI, qui abunde satisfacit Boineburgii desideris, de explicanda Jurisprudentia naturali secundum doctrinam Christianorum. Habemus EICHELIVM, EISENHARDTUM, PRASCHIVM & qui selecta in primis sibi argumenta tractanda sumserunt, morte haud ita pridem erepti, WERLHOFFIVM & HERTIVM. Habemus etiamnum in singulis propemodum Germaniæ academiis, qui in hanc juris partem egregie meriti sunt, & adhuc indies merentur. In quibus nominasse sufficiet Illustrem Dominum THOMASIVM & COCCEJUM, S. R. Dn. BUDDIVM & HOCHSTETTERUM, Excell. Dnn. BOHMERUM TITIVM, LUDOVICI, GUNDLINGIVM, WERNHERUM, WEBERUM, RESTNERUM, Joh. Jac. MÜLLERUM. Quos quidem omnes dignis efferre encomiis, superfedeo; illud unicum tamen tacere non possum, Illustrem Dominum THOMASIVM novam quasi epocham dedisse Jurisprudentiæ naturali, ut cum ejus merita in hanc disciplinam singulari dissertatione digna videantur, pauca saltem hic delibanda sint. Ad magnum culmen elata erat Jurisprudentia hæc per eos, quos in antecedentibus laudavimus; negari tamen nequit, viros egregios plane omnia perficere simul non potuisse,

& hinc inde partim ea tradidisse, quæ solent à Juris civilis Dodoribus, vix mutata, nisi quod allegata Doctorum & legum omiserint, partim eos posito licet generali principio tamen in specialioribus capitibus vix modum justæ demonstrationis observasse, sed hinc inde rationes varias congesisse non satis inter se nec cum principio connexas, partim denique noluisse tangere ulcus præjudiciorum vulgarium, cum in paucis ab iis discedentes pericula satis magna subeunda esse, experti fuerint. In his ergo versata est exacta diligentia viri illustris jam in primo opere, quod sub Jurisprudentiæ divinæ nomine initio quidem odium multorum, post omnium fere applausum meruit, ut hodie id commendent illi ipsi, qui contra posteriora Thomasiانا principia acriter disputant. Puffendorffii tum quidem defendit principium, sed in singularibus materiis non tantum ea, quæ meri juris civilis erant, diligenter secrevit, sed ex primo principio aliis secundariis derivatis ex his singulas materias dijudicavit, & sic insufficientiam rationum vulgarium in multis, de quibus ante vix erat dubitatum, perspicue ostendit. Cum tamen postmodum animadverteret, à pluribus quidem officia erga DEum se ipsum & alios, item in his officia perfecta atque imperfecta distincta, fuisse, sed partim illa omnia ex generali uno principio derivata promiscue & sic necessario confusa, partim in suis quidem capitibus separatim tractata, sed in singularibus materiis, ubi omnia hæc vel quædam simul concurrunt, non considerata, imo vix recte definita fuisse, jam in doctrinis fundamentalibus den Grund- Lehren P. I. c. 23. §. 17. seq. ista accuratius discernendi regulas præscripsit. Post ex professo id egit, & pium quidem Dominis Theologis commendavit, honestum, justum & decorum ipse à se in singulis doctrinis distinxit. in fundamentis.

mentis Juris naturæ & Gentium. Sic ergo Germano-
rum studio effectum est, ut vix quidquam desit Juris-
prudentiæ naturali, nisi id forte unum, ut cum prostent
multa vasta volumina, ubi specialissimæ conclusiones
& controversiæ examinatæ sunt ex utraque parte ratio-
nibus & ratiunculis, jam post hanc superadditam limam
aliquis easdem omnes ad amussim accuratorem revo-
cet, & ex ipsis innatis principiis dijudicet. Spem ali-
qualem fecerat hujus rei ipse illustris Thomasius partim
in fundamentis *lib. 2. c. I. §. 2.* ubi novas plane curas
partim in *programme de 1702. mens. April. p. 25.* ubi in e-
laboratione doctrinarum fundamentalium tale quid pol-
licitus fuit. In his doctrinis fundamentalibus autem, ut
supra dictum est, pars I. comprehenderat theses juris
naturalis. Sed prodiit elaboratio illius partis I. sub ti-
tulo cautelarum satis nota, ast in *cap. 15. §. 2.* rejectum
ad aliam partem hoc nostrum studium fuit. Unde nil
asserendum temere credimus de operis illius eventu,
partim, quia notissimæ sunt occupationes, quibus de to-
ta litteraria republica meretur vir summus, partim, quia
ab ipso viro illustri didicimus, tales promissiones non
esse conventiones, sed pollicitationes, adeoque non
obligatorias.

15. Ostendant autem exteri, quid in hoc genere
præstiterint. Angli forte soli aliquos exhibebunt, *Sel-
denum* inprimis & *Hobbesium*. Sed hunc quidem Angli
ipsi eum in modum damnaverunt, ut simul recte ab ipso
dicta sæpius rejiciant. Licet enim ipsi sæpissime injuria
facta sic ab adversariis, partim ob diversitatem profes-
sionis à clero, partim ob diversitatem status publici libe-
ri exemplum in Gisberto Cocquo, partim ob diversita-
tem Philosophiæ, quæ in Hobbessio mathematica erat, in
aliis scholastica, exemplum in Strimesio; partim deni-
que

que ob diversitatem temperamenti, quo forte pertinet Cumberland cum tota sua benevolentia & amicitia; Negare tamen poterit nemo, eum variis dogmatibus evertere potius moralitatem, quam adstruere. De Seldeno autem Grotii æmulo, quod multi notarunt, paucis complectitur *Barbeyracius in pref. ad Puffend. §. 28.* Il s'en faut bien, qu'il n'effacât le traité de Grotius. Outre le desordre, que l'on blâme avec raison dans la manière d'écrire de Selden, cet Auteur ne tire pas les principes du droit naturel des pures lumières de la raison, mais seulement des sept préceptes donnés à Noë, dont le nombre est fort incertain, & qui sont uniquement fondés sur une tradition douteuse, quoique assez ancienne. Il se contente même le plus souvent, de rapporter les décisions des Rabbins, sans se mettre en peine d'examiner, si elles sont bien, ou mal fondées. & *Joh. Clericus ari. crit. tom. I. part. I. c. 5. §. 5.* adparet ex scriptis viri longe doctissimi Joannis Seldeni, cum ita studia sua perturbasse, ut eodem tempore de rebus toto genere diversis cogitaret. Digressiones enim captat adeo remotas, & interdum tam longas, ut nisi ita studia instituisset non potuisset tantam ordinis & rerum perturbationem ferre. Ac sane dum ordinem & perspicuitatem negligit, non parum tædi lectoribus creat, quæ vera ac utilia habet, longe plurima, minus facile intelliguntur, & scubi in errorem delabitur, vix origo erroris deprehendi potest.

§. 16. Ad leges ergo divinas positivas transeo, quæ cum omnes ex scriptura sacra hauriendæ sint, primas merito debemus *B. Lutero nostro*, qui excusso Papali jugo reddidit nobis libertatem scripturam perscrutandi. Quamquam hujus in eo merita commemorarunt jam dum alii citati in proemio §. 14. Neque instituti nostri neque sententiæ est, prolixè disputare contra eos qui ea, quæ ex scriptura sacra tanquam lege allegantur, vel leges non esse, sed tantum consilia & monita paterna, vel ad nos non pertinere, imò plane naturales leges proprias leges

leges non esse arbitrantur. Ne tamen hoc omne quod subjungimus, supervacaneum plane videatur, id paucis declarandum est, extrema omnia nos hic sollicitè cavenda putare, ne vel rationem vel revelationem insuper habeamus. Sic ergo 1.) fatemur, ipsam rationem dicitare, quod DEUS hominibus non indigeat, & hinc non ferat leges ob utilitatem & commodum proprium. 2.) eandem rationem dicitare, quod DEUS intendat, beatitudinem hominum, & hinc naturam ita formaverit, ut si ejus relationem sequamur, promoveatur simul nostra utilitas; si negligamus juris naturalis præcepta, simul nobis ipsis nostro facto noceamus. Sed id quodque admittimus 3.) rationem nostram ignorare, an DEUS, si naturalia præcepta negligamus, externam simul pœnam dicitaverit, & 4.) eandem ignorare, an præterea, DEUS leges tulerit, quia ita voluerit, & quæ commodum per se aut neglectæ damnus per se non producant. Ignorare rationem hæc diximus hoc est nec affirmare, nec tamen negare, & sic 5.) non negare, quia certum sit DEUM tanquam supremum omnium potuisse, & si modo ostendatur, talis vel externa pœna vel præceptum, generalem quoque habere potuerit rationem, ut homo sentiat, se non esse independentem, quemadmodum, si humana exempla adducere fas est, in emphyteusi exigua admodum quantitatis canon non ob utilitatem, aut avaritiam domini directi exigitur, vel in feudis servitix plane inutilia & sæpe fere, ridicula exiguntur, non ex indigentia, sed ne alter nimium sibi tribuat, sed tamen 6.) nec affirmare alterutrum quamdiu non clarissimæ demonstrationes ostendunt, DEUM hoc præcisè voluisse. Hoc enim nisi admittas, necesse est, ut fingas ex cerebro vel pœnas vel præcepta. 7.) vero demonstratio petenda est non ex incertis, sed ex ta-

li fonte, ubi singula revelata sunt ab ipso DEO, & hoc clarissime ante omnia demonstrandum. Sic ergo non sufficient praecepta Noachi vel similia, sed supponendum ante omnia est, quod pluribus Dni Theologi nostrates demonstrant, non alium esse fontem, quam sacram scripturam libris Canonicis comprehensam, hanc autem ita, ut ante dictum est, comparatam esse. Quod, si admittis, necesse est, ut porro 8.) concedas sacram scripturam non esse à sensu suo deturbandam, aut explicandam contra omnes regulas hermenevticas, licet tibi 9.) largiamur in dubio, & si tam solida pro negativa, quam pro affirmativa militent rationes, negativam verioremi videri, quia sic pro affirmativa revera nihil probatum esset, quod tamen fieri debeat per n. 6. Neque tamen desperamus, cum si haec omnia vera sunt, certissimum sit, DEum dictare poenas externas h. e. non immediate ex ipso facto fluentes & eundem dare leges à naturalibus distinctas & cum ratione connexionem necessariam non habentes. Utrumque qui asserit, probare debet. Videtur tamen prius ex S. S. necessario admitendum, nisi & ex futuris aeternum damnatorum cruciatum, & ex praeteritis diluvium negare velis. Quod cum adhuc à nemine aut negatum sit, aut ostensum, illas poenas ex ipso facto per se fluere, plura addere, opus non est. Ipse vero lector dispiciat, an poena Gen. III. ex ipso arboris fructu ad cibum serpentis destinato, hominis autem naturam maximopere adverso derivari possit, salvo contextu & reliquis regulis hermenevticis. Nobis enim vel priora exempla sufficiunt. Posterius jam probandum est, sc. leges dari positivas, id est, non ex natura hominis patescentes, ubi quidem cum leges divinae positivae vel universales vel particulares dicantur, quarum illae ab omnibus, haec à quibusdam hominibus

bus servandæ censentur, de his quidem dubium non est, quod existant, de illis vero magnalis, ut separatim de quaque dispiciendum sit.

17. Ut ergo merita Germanorum circa leges positivas universales ostendi queant, necessarium est, ut prius inquiramus, an omnino talis lex detur. Non videntur id conficere, quæ à multis poni solent criteria, ut 1.) actus præceptus vel prohibitus non possit ex socialitate deduci. 2.) ut S. S. declaret, ad omnes homines illam legem pertinere. 3.) ut vel ante institutam Rempublicam judaicam lata sit, vel 4.) si in Hebræorum theocratia peculiariter in ipsa legis promulgatione dicatur, eam omnes homines æquo vinculo constringere, vel 5.) à Christo in novo testamento peculiariter inculcerur. Nam ea quidem partim supervacua, partim dubia videntur. Quod enim ad primum attinet, non quidem omnino rejiciendum sed tamen nec adæquatum, nec accuratum satis, hodie omnes propemodum fatentur, principium socialitatis. Secundum reliqua sub se omnia comprehendit, quæ ad ejus probationem inventa sunt. Nec tamen tertium accuratum est legis universalis criterion, cum & ante rempublicam judaicam data sint leges, quæ præter certos homines non obligaverunt. Ostendit hoc ipsum circumcisionis præceptum, quod Genes. 17. Abrahamo datum diu ante, quam Judæi existerent, ne dicam, in certam regiminis formam redigerentur. Quartum admitti posse, primo intuitu plane non videtur, cum obligare non possit lex, nisi eos, quibus promulgata est, unde si solis judæis legis data notitia, frustra addita foret clausula, eandem etiam alios stringere, quibus illa nunquam innotuit. Sed tamen ejus loco id admittendum est, quod licet quam clarissime demonstrandum sit, in singulis hanc vel illam

Iam esse legem divinam universalem, id tamen necesse non sit, ut demonstretur, quando ea promulgata, & an omnibus hominibus, & an punire possit, qui legem nescivit. Hoc enim modo aut dubitas de analogia fidei, aut quidquid respondes ad quæstionem, an ethnici, qui Christum & scripturam ignorant, damnentur, id contra te quoque admittes, cum sufficiat, demonstrasse, quod in scriptura contineantur, & analogam scripturæ totiusque religionis habeant naturam. Ultimum denique non admittent Theologi, qui jam dudum ostenderunt, Christum non legislatorem egisse; sed Doctorem. *Conf. Ziegler & Osiander in not. ad Grot. Prolegom. n. 48. lib. 1. c. 2. §. 7. lib. 2. c. 1. §. 13. Dn. Buddeus theol. moral. cap. 1.* Neque tamen difficilis erit demonstratio, si modo iterum supponas, quæ distincte proposita sunt spha præced. Circa singulas leges occupati non sumus, sed pauca aut certa exempla sufficiunt pro scopo nostro qui est, ne otiosum opineris hunc spha. Modo ergo fructum arboris non habuisse botanicam aliquem vim contendas, de quo spha præced. adest exemplum LEGIS quæ absolute observanda fuit, POSITIVÆ, quia ex natura sciri non poterat, sed peculiari promulgatione indigebat, UNIVERSALIS, quæ primis parentibus in paradiso, & sic omnibus hominibus lata fuit. Præter hoc alia adsunt exempla, quæ in dubium vocari vix possunt. Neque enim ulla ratio allegari potest, cur pro talibus legibus non habeantur Baptismus; S. Cena & ea omnia, quæ circa religionem præscribit scriptura sacra, & quæ ex ea in systematibus theologicis uberius probantur *conf. Baiërus theol. mor. part. 3. c. 2. §. 12.* Sunt enim LEGES, quæ à DEO præscriptæ sub jactura salutis æternæ; sunt POSITIVÆ; quia ex ratione non apparent; sunt UNIVERSALES, quia omnium hominum salutem concernunt.

Quæ

Quæ singula, sicuti vix in dubium vocabuntur, ita nostra probatione non indigent, sed à Theologis ubique demonstrari solent, & ab illis rectius quam à JCris percipiuntur. Sufficiunt hæc, neque enim nostrum est, jam omnes leges enarrare, partim, quia hic disputationis scopus non est, partim, quia etiam illæ, quæ pro forensibus habentur, tamen ex sacra scriptura petendæ sunt, & sic supponunt interpretationem dictorum biblicorum, quam intactam theologis relinquimus. Partim denique, quia variz species ex iis, quæ commemorari solent, etiam nobis dubiz & ita comparatz sint. ut cum demonstrationibus per §. præced. n. 6. clarissimis opus sit, nos dare tales non queamus, contenti, quod positum in præcedentibus sit fundamentum generale, ex quo apparet, dari tales leges, & sic nil superfit quam demonstratio specialis, hanc esse talem legem, ut sic quisque urgere possit probationem, & si illa datur, legem agnoscere, si non datur, repudiare, salva analogia omnium præcedentium, quibus suppositis evolvi possunt, qui speciales leges enuclearunt. Quotquot enim eorum sunt, omnes Germani fuerunt, & exterorum hanc doctrinam nemo vel cogitando tetigit. Primus, qui illam ab aliis legibus divinis distinxit, videtur GROTIUS de J. B. & P. lib. 1. c. 1. §. 15. & lib. 2. c. 5. §. 13. Quem in eo secuti sunt è theologis nostris DANNHAUSERUS in *hodosophia christiana* phan. 6. §. 2. p. 463. SCHERZERS in *breviario Hulfemann. extenso cap. 8. th. 16. p. 474.* & DIECMANNVS à patre cognatus mihi summè reverendus in *vindic. leg. monogam. §. 4. seq.* è JCris autem ZIEGLER ad *Grot. Lib. 2. c. 5. p. 272.* HENNING ad *Grot. lib. 2. c. 5. §. 6.* Ex professo dari tale jus ostendere constituerat KVLPIVIVS vid. *Colleg. Grotian. exerc. 4. th. 6. p. 45. & in nota r. p. 46.* Sed perfecit illud & hoc jus primum

num enucleavit illustris Dn. THOMASIVS tum in *dissert. de crimine bigamie*, tum in *Institut. juris divini* quem postea omnes fere juris naturalis scriptores secuti sunt, & etiam num sequuntur eandem doctrinam multi, licet multi sententiam mutaverint, qui tamen omnes itidem Germani sunt. Primus inter hos est idem illustris THOMASIVS in *Observ. Halens. tom. 6. obs. 27.* & in fundamentis Jur. Nat. & Gent. Eodemque pertinet nova methodus S. R. Dn. BVDDEI, qui ex ipsa natura, sed restituta & redintegrata derivat leges, quas alii positivās, ipse hypotheticas appellat *vid. theol. mor. l. 1. cap. 2. sect. 2. & c. 3. sect. 3.* Pluribus talia & historiam harum legum enarravit Dn. Ludovici in *delin. hist. jur. divini p. 68. seqq. & cit. Dn. BVDDEVS in hist. jur. Nat. §. 43. seq.* Lis omnis componi posse vix videtur, nisi unus defectus suppleatur, qui adhuc est in hac parte JPrudentiæ, scilicet, ut singulæ leges, quæ hic ab aliquibus referuntur, examinentur, & illæ, quæ demonstrari possunt ab illis, quæ ad numerum augendum tantum prolatae sunt, discernantur. In singulis vero examinandum foret, 1.) an revera sit LEX, ubi ostendenda verba indubia & hinc trutinanda foret lex de Polygamia *Matth. XIX. v. 4. & 9.* de imperio maritali *Gen. 3. v. 16. & 19.* de Sabbatho *Gen. II. v. 2. 3. Apoc. I. v. 10. Act. XV. 28. XXI. 25.* de homicidio capitaliter puniendo *Genes. IX. v. 5. & 6.* 2.) an sit POSITIVA, ubi ostendendum, ne quidem ex principiis honesti & decori, aut si major ex legibus naturalibus imperfectis tale quid deduci posse. Perpendenda hic esset lex de divortio *Matth. XIX. 5. seq.* de concupiscentia *Rom. VII. 7.* de incestu *Levit. XVIII. conf. Suetonius Claud. c. 26. Tacitus lib. 12. c. 3.* 3.) an sit VNIVERSALIS, ubi ostendendum, hanc ipsam legem non forte universalibus tantum immixtam esse, sed ipsam esse universalem.

Et

Et hic examinanda foret lex de adulterio capitaliter puni-
 endo *Levit. XX. v. 10. & 23.* de sanguine non com-
 edendo *Genes. IX. 4. Añtor. XV. 29. XXI. 25.* de Sabbatho
Exod. XX. 8. & 11. de incestu *Levit. XVIII.* ubi, cum in v.
 24. satis clara sit clausula generalis, examinanda tanto
 diligentius dissentientium argumenta, inprimis ex *Levit.*
XVIII. v. 20. 22. 26. 27. Levit. XX. 2-5. seq. & 23. it. 2. Par.
33. v. 2. 9. 1. Reg. XXI. 26. Zachar. IX. 3. 7. 2. Par. XXXVI.
24. 2. Reg. XXIII. 13. 2. Par. XXXI. 33. Dent. XVII. 1. XXIII.
18. 6. XIV. 3. Ezech. VIII. 16. Lev. XI. 43. XIX. 7. Psal.
V. 7. Prov. XI. 1. 20. 6. XII. 22. 6. XV. 8. 6. XVI. 5. Jes. I.
13. Añ. X. 28.

19. Superfunt leges divinæ particulares, quarum
 nomine comprehenduntur illæ omnes, quæ certis ho-
 minibus datæ sunt, & certos homines obligarunt, hodie
 autem omnes expirarunt. Bina hic fortassis verba ju-
 sto videbuntur generaliora, quod certi homines, non ju-
 dæi, appellati sint, & quod hodie expirasse dicantur,
 non temporibus Christi. Sed liceat utrumque paucis
 defendere. Appellatio legum particularium non præ-
 cise judæos innuit, nec quando expiraverint determi-
 nat ipsa res, nisi confundere velis leges ceremoniales &
 forenses, quæ species binæ particularium legum in hoc
 ipso à se invicem distinguuntur. Id omnibus notum
 est, ceremoniales leges dici, quæ ad cultum divinum
 directæ erant; forenses, quæ ad negotia civilia. Unde
 insignis in effectu differentia erat, quod legibus foren-
 sibus quidem omnes in republica viventes tenerentur,
 quemadmodum inter nos hodie omnes cujusvis natio-
 nis vel religionis in loco degentes ex statutis loci judi-
 cantur, sed quod legibus ceremonialibus illi nec usi
 sint, nec uti potuerint nisi post plenum in religionem
 transitum, adeo, ut cum in foro omnes profelytos feu
 just.

iustitiæ sive domicilii forenses Leges obligarent, profelytus domicilii mortis reus iudicatus sit, si uteretur lege ceremoniali, quasi ejus profanator. *vid. Seldenus de jur. nat. lib. 2. c. 2. lib. 3. c. 5. & lib. 7. c. 10.* Sed non potes admittere unum jus ad religionem, alterum ad forum pertinuisse, nisi & initio & sine utrumque distingvas. Religio Ebrzorum antiquior longe est, quam forum, unde antiquior sit lex ceremonialis, necesse est. Et lex circumcissionis *Gen. XVII.* quam ceremoniale esse nemo negat, Judæis lata non est, sed Abrahamo, quia religio, licet postea pluribus ritibus informata, ipsi tamen Abrahamo, tribuitur. Unde **D E V S** toties **Œ** **DEVM** Abrahami, Isâaci & Jacobi appellat. Unde insigni a reliquis differentia legibus particularibus hæc lex circumcissionis observanda erat non solum judæis, sed omnibus Abrahami posteris, adeoque non tantum Ismaelis, sed & liberorum Keturæ & Esavi. Forenses autem leges, cum rem publicam respexerint ante rem publicam judæorum non fuere, & sic cœperunt tardius, durarunt vero longius, quam ceremoniales. His enim cum typus in Christum inesset, antetypo veniente cessarunt, nondum vero cessavit lex forensis, quia nondum forum, sed dissoluta demum est, cum ipsâ judæorum republica. Hodie ergo utraque cessat, in quo consentiunt Theologi omnes, plerique plane pro peccato habent, si quis illis legibus particularibus vim nos obligandi tribuat *vid. Calvoer gloria Christi lib. 2. c. 14. Josua Arnd. manuale Leg. Mosaic. p. 2. can. legal. 30. 31. Kromayer thesol. posit. polem. art. 13. th. 19. art. 15. th. 11. Meisnerus de legibus lib. 4. sect. 1. qv. 19. Osiander ad Grot. lib. 1. c. 1. n. 16. & J. Cri. Illustris Dn. Thomæ, ad Huberi jus civitatis lib. 1. sect. 1. cap. 6. not. k. seqq. Reinking de regim. secul. & eccles. lib. 2. cl. 2. c. 3. Ziegler de jur. Majest. lib. 1. c. 5. th. 54. seqq.* Nequetamen inutilis

utilis dici potest labor eorum, qui circa has leges explicandas versati sunt, cum & sanctissimum autorem, & ceremoniales umbram Christi contineant, circa quæ ideo diligenter versati sunt Theologi Germani, quos commemorare à nostro scopo alienum est. Forenses autem leges à JCtis laudabili industria expositæ, & cum Romanis collatæ sunt. Nolumus, quod multi credunt, asserere, à Judæis leges suas Græcos accepisse, ab his Romanos, quorum jura nos recepimus, neque tamen diversorum etiam jurium collatio fructu caret. Quo nomine dilaudat Germania inter multos alios, quod ad systema ipsum attinet, REINKINGIVM, quod ad collationem cum legibus Romanis, ZEPPERVM, imo leges Mosæicas quascunque cum naturalibus, Romanis, & statutariis contulit GIESEBERTVS in Deuteronomio Harmonico, quod sicuti omnia reliqua scripta viri, ne pietatem dilaudem, & industria indefessa & judicio limato pollentis satis laudari non potest. Licet enim diffidendum non sit, omnes ejus libros non admittente lectionem cursoriam, & obscuriores paulo videri partim, quia stilo usus est conciso, partim, quia brevitatis studio varios terminos & sæpe signa immiscet, quæ ex una libri pagina perspicua satis non sunt, accuratius tamen eos evolventi non potest non placere labor viri, qui & in iis, quæ ab aliis jam dicta sunt, longe accuratior est, quam illi fere omnes, & multa singularia ubique profert ab aliis nondum tacta.

Et hæc speciminis loco sufficiant. Licet enim merita Germanorum in jus Civile huic ipsi specimini adjicere ab initio constitutum fuerit, tamen & plagularum spatium & fata hujus speciminis varia & singularia id jam non admittunt, Id tamen efficiam, ut imposterum

sterum, Lector benevole, aut hæc ipsa Germanorum
in jus civile merita tibi exhibeantur, aut tamen con-
stare possit, juris civilis studium non indignum
nobis videri, de quo indies bene mereantur

Germani JCTI.
F I N I S.

Corollaria ex pluribus, quæ ipsi dissertationi adjecta fuere
& quæ hic pagina capit.

- I. *Depositum irregulare non datur.*
- II. *Creditor antichreticus omnes fructus retinet.*
- III. *Culpa levis in concreto non datur.*
- IV. *Omnis actio injuriarum est pœnalis.*
- V. *Actiones in duplum &c. Romanorum hodie cessare demonstrari potest.*
- VI. *Ufus modernus circa feras ex ipsis principiis juris Romani deduci potest.*
- VII. *Lenocinium parentis capitale non est.*
- VIII. *Nulla est distinctio inter dolum incidentem & causam dantem.*

Cum tertiam plagulam corrigere ipse non potuerim, quæ
in eam irrepserunt errata, cum reliquis sic emenda.

- p. 5. lin. 17. lege Heurnii ph. b. p. 62. p. 8. l. 30. leg. orb. l. 2.
c. 11. §. 12. p. 20. l. 22. leg. vit. p. 11. l. 5. leg. 4.
p. 22. l. 11. leg. 1. Cor. XV. 10. 2. Cor. XI. 23. p. 23. l. 2.
leg. Germanis. Ib. l. 5. & 6. leg. Jurisprudencia. Ib.
l. 15. leg. Germanorum. p. 24. l. 5. leg. animor. Ib.
l. 30. leg. per tot labores. p. 25. l. 20. leg. dit. p. 26.
l. 28. leg. cede. p. 35. l. 8. leg. ocures. p. 40. l. 10.
leg. Proxleus.

ULB Halle
005 121 760

3





Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

NICOLAI PRAGEMANNI ^{1714, 4^b}
 PHIL. ET V. J. D. AVLÆ AC REGIM. SAXO-VINAR.
 ADVOC. ORDIN. ⁵
 SPECIMEN TRACTATIONIS ¹⁶⁸⁻¹
 DE
MERITIS GERMANORVM
IN IURISPRVDENTIA
 IN QVO
 POST DISSERTATIONEM PROEMIALEM
DE PHILAVTIA GENTIVM
 NOSTRATVM MERITA TVM ^{1714, 2}
 IN IURISPRVDENTIA IN GENERE,
 TVM IN SPECIE
 IN STUDIO
IURIS NATVRALIS ET POSITIVI DIVINI
 EXHIBENTVR
 ANTEHAC IN VICEM DISSERTATIONIS IN AVGVRALIS
 SVB PRÆSIDIO
 VIRI MAGNIFICI ET JCONSULTISSIMI
GVILIELMI HIERON. BRVCKNERI
 CONSILIARII SAX. ET ANTECESSORIS JENENSIS
 SOLEMNI ERVDITORVM EXAMINI SVBJECTVM
 JAM AVCTIVS
 IN PRIMIS CVM QVÆSTIONE PRÆJVDICIALI
DE EXISTENTIA LEGVM POSITIVARVM
VNIVERSALIVM
 ET
DISTINCTIONE PARTICVLARIVM
 PVBLICATVM.

J E N A E,
 IN OFFICINA WERTHERIANA.
 Anno 1718.